MASTER NEGATIVE
NO. 93-81332-4

AUTHOR:

SCHILLING, BERNHARD

TITLE:

DE SCHOLIIS BOBIENSIBUS

PLACE:

DRESDAE

DATE:

1892

Master Negative #

93-81332-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schilling, Bernhard, 1862-
De scholiis Bobiensibus, dissertatio ... quam... scripsit Bernardus Schilling... Dresdae, typis B.G. Teubneri, 1892.
32 p. 25½ cm.

Thesis. Leipzig.
Bound with Müller, Carl Friedrich Wilhelm. Conjecturae Tullianae. 1860.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/2 x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-27-93 INITIALS M.M
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE SCHOLIIS BOBIENSIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BERNARDUS SCHILLING

CHEMNITIENSIS.

DRESDAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCII.

1892

MARTINO WOHLRAB

SACRUM.

DE SCHOLIIS BOBIENSIBUS.

Scripsit

Bernardus Schilling.

I. Quibus fontibus latentibus scholiasta usus sit.

A.

Saepe scholiastam *Ciceronis* libris ita usum videmus, ut quaedam ex orationibus, libris philosophicis, epistulis hausta ut sua prodat. Quod apparebit collatis locis hisce:

Schol. 233, 22: Verum quod ad Pisonem pertineat, plurimi quidem ex hac familia cognomentum frugalitatis habuerunt: sed enim primus hoc meruit *L. Piso*, qui *legem de pecuniis repetundis tulit*, et fuit C. Graccho capitalis inimicus, *in quem ipsius* (Z 3)[1]) *Gracchi extat oratio maledictorum magis plena quam criminum.*	Cic. pro Font. XVII, 39: *Exstat oratio hominis*, ut opinio mea fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi atque eloquentissimi, *C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum!* qui tanta virtute atque integritate fuit, ut — — *Frugi nominaretur.* in Verr. III, 84, 195: L. Piso ille Frugi, qui *legem de pecuniis repetundis primus tulit.* cf. in Verr. IV, 25, 56. Brut. XXVII, 106. de off. II. 21, 75.
Schol. 301, 22 Hic (sc. Antiochus magnus) *victus a L. Scipione angustiores* etiam *regni habere terminos iussus est.*	Cic. pro rege Dejot. XIII, 36: Etenim si Antiochus Magnus ille, rex Asiae, cum, posteaquam *a L. Scipione devictus est, Tauro tenus regnare iussus esset*, — —
Schol. 358, 2. Natione *Rudinus* fuit Q. *Ennius*, quem *superior Africanus dilectum familiarissime*, etiam *communicato sepulchri honore* dicitur in maiorum suorum numerum redegisse.	Cic. pro Archia poeta IX et X, 20: *Carus* fuit *Africano superiori* noster *Ennius;* itaque etiam *in sepulchro Scipionum* putatur is esse constitutus ex marmore. — — Ergo illum — *Rudinum* — hominem etc.

1) Hac litera et addito numero significantur paginae scriptorum quae edidit Leo Ziegler Mus. Rh. vol. 27, p 420—437: ‚Zur Texteskritik des Scholiasta Bobiensis' et progr. Monac. 1873 ‚Beiträge zur Textkritik des Schol Bob.'

Schol. 363, 28: Fuerat enim Pompilius Curibus Sabinis ortus: *Tarquinius* vero Priscus *Demarati Corinthii filius*, qui *fugiens dominationem Cypseli*, in Italiam se *Tarquinios* contulerat, ibique *liberos procreaverat.*

Cic. Tusc. disp. V, 37, 109: *Damaratus* quidem, *Tarquinii* nostri regis *pater*, *tyrannum Cypselum* quod ferre non poterat, *fugit Tarquinios Corintho* et ibi suas fortunas constituit ac *liberos procreavit.*

Schol. 364, 11: *Manius* porro *Curius*, qui *de Samnitibus triumpharit*, Sabinis[1]) oriundus videtur; ubi etiam *foculo adsidens aurum*, quod sibi hostes obtulerant (Z 436), *repudiavit;* confessus ,votum sibi esse praecipuum, non ut ipse opibus adflueret, *sed ut pecuniosis hostibus imperaret.*

Cic. Cato Maior XVI, 55, 39: Ergo in hac vita *M'. Curius*, cum *de Samnitibus*, de Sabinis, de Pyrrho *triumphasset*, consumpsit extremum tempus aetatis. — — Curio *ad focum sedenti* magnum *auri* pondus Samnites cum attulissent, *repudiati sunt.* Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, *sed eis, qui haberent aurum, imperare.*

Schol. 357, 22: Hic (sc. L. Plotius[2]) *primus Romae studia Latina docuisse fertur.*

Suet. de clar. or. cap. II: L' Plotius Gallus. De hoc Cicero ad M. Titinium sic refert: Equidem memoria teneo pueris nobis *primum Latine docere coepisse L. Plotium* quendam.

Quae scholiasta (p. 311, 12.) de Themistocle narrat, e Cornelii Nepotis vita Themistoclis sumpta esse satis constat.[3]) Cuius de morte Cornelius memorat haec (cap. X): ,De cuius morte multimodis apud plerosque scriptum est; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiae morbo mortuum, neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret.' Accuratius autem scholiasta tradit (312, 3): ,Alii vero existimaverunt eundem venientem ad oppugnandas Athenas cum Persico exercitu hausisse taurinum sanguinem, atque ita vitam finisse.' Non dubium est, quin scholiastae Cornelii verbis monito in mentem venerit Tulliani illius (Brut. XI. 42 et 43): ,Ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam, quem Thucydides — — tantum mortuum scripsit et in Attica clam humatum, addidit fuisse suspicionem veneno sibi conscivisse mortem: hunc isti aiunt, cum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera et eo poto mortuum concidisse.'

B.

Historicos scholiasta cum alios sequitur, tum *Livium.* Cuius libros, quamquam auctoris nomen in commentariis frustra quaeres, tamen illum inspexisse intelleges ex his:

Schol. 277, 16: Quippe Horatius victor Romam (Z 426) regressus, occisis tribus Curiatis Albanorum, *obviam sororem habuit* deplangentem Atti[4]) Curiati obitum, cui *desponsa* fuerat. Ob id interfecit eam frater; et *spolia Curiatorum trina fixit loco* celebri, *cui pilae Horatiae nomen est.* Hic tamen caedis accusatus ab inimicis, quum capitis causam *aput Tullum*[1]) regem, *patre defendente*, dixisset; damnatus ad populum *provocavit absolutusque est* et tamen *expiari iussus.* Constitutis igitur duabus aris Iano Curiatio et Iunoni Sororiae,[2]) superque eas *iniecto tigillo*, Horatius *sub iugum* traductus est. Id expiamentum memoriae servatum *ad hunc usque diem tigillum sororium appellatur.*

Liv. I, 26, 2 sqq: ita exercitus inde domos abducti. Princeps Horatius ibat *trigemina spolia* prae se gerens; cui soror virgo, quae *desponsa* uni ex Curiatiis fuerat, *obvia* ante portam Capenam *fuit.* — — Stricto itaque gladio simul verbis increpans transfigit puellam. — — Accesserat lictor iniciebatque laqueum. Tum Horatius *auctore Tullo*, clemente legis interprete, ,*provoco*' inquit. Ita de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo iudicio maxime P. Horatio *patre proclamante*, se filiam iure caesam iudicare. — Inter haec senex iuvenem amplexus, *spolia* Curiatiorum *fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur*, ostentans — — Non tulit populus nec patris lacrimas nec ipsius parem in omni periculo animum, *absolveruntque* admiratione magis virtutis quam iure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, *imperatum patri, ut* filium *expiaret* pecunia publica. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, *transmisso* per viam *tigillo* capite adoperto velut *sub iugum* misit iuvenem. Id *hodie quoque* publice semper refectum manet; *sororium tigillum vocant.*

1) cf. p. 23. ad nostrum locum. — 2) cf. p. 23. — 3) cf. Gaumitz. progr. gymn. Vitzth. 1884 p. 21. — 4) de hoc nomine cf. 16 ann. 2.

Schol. 319, 14: Notissimum habemus, auspicante *Romulo*, qui *Palatium* ceperat, et *Remo*, qui *Aventinum*, priusquam Roma conderetur, auspicia esse captata; *primumque sex vultures Remum vidisse, dein postea Romulum duodecim:* atque ita et Romam conditam, et *ipsos reges appellatos;* illum, *quod prior auspicium cepisset, Romulum vero quod maius.*

Liv. I, 6 sq. *Palatium Romulus, Remus Aventinum* ad inaugurandum templa capiunt. *Priori Remo* augurium venisse fertur, *sex vultures*, iamque nuntiato augurio cum *duplex numerus Romulo sese ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat. Tempore illi praecepto, at hi numero avium regnum trahebant.*

Non mirum est, quod praeter hos duos locos nulli inveniuntur, quibus aperte demonstretur scholiastam, quae narrat, ex Livii scriptis transtulisse: quoniam, quibus Ciceronis tempora tractabantur, libri amissi sunt. Maii autem notis saepissime iubemur respicere ea, quae Velleii Paterculi in historiis Romanis atque Valerii Maximi in factorum et dictorum memorabilium libris tradita sunt. Cui viro doctissimo obsecutus intellexi Velleii et Valerii libros non fontes esse interpretis nostri Tulliani, immo Velleium et Valerium et scholiastam eodem ex fonte hausisse: i. e. Livii ex historiis. Argumenta sunt haec:

De Livio Druso est in commentario (282, 32): ,Ac primo quidem dicit de Livio (Z 427) Druso, qui consulibus Sexto Caesare et Philippo quum *partes senatus* in tribunatu suo contra plebem *suscepisset;* idem vero postea volens gratificari sociis et Latinis civitatem

1) Z 426 corrigit: ,aput Tullum Hostilium' et addit: Hostilium ist von m. 2 beigefügt, was Mai übersehen hat. Livii autem verbis collatis manifestum est illud a manu altera additum ,Hostilium' omittendum esse. — 2) cf. p. 24 ann. 3.

Romanam promisisset, ad extremum eiusdem pollicitationis implendae desperatione praevertus, *in atrio domus suae incertum*[1]) *quo percussore* confossus est.‘ De eodem narrat Velleius (II, 14): ‚Tum conversus Drusi animus, quando bene coepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiae; quod cum moliens revertisset e foro immensa illa et incondita quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine, *in atrio domus suae* cultello percussus, qui adfixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit.’ Conferamus Liv. per. LXXI: M. Livius Drusus tribunus plebis, quo maioribus viribus *senatus causam susceptam* tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit, ... cum deinde promissa sociis civitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. — propter quae Livius Drusus invisus etiam senatui factus velut socialis belli auctor, *incertum a quo, domi occisus sest.*’ Quis dubitet, quin scholiasta apud Livium invenerit: Livium Drusum ‚*in atrio domus suae, incertum a quo,*’ interfectum esse? Qua in re scholiastam, cum Livium sequatur, fugit Ciceronem[2]) memoriae prodidisse, in quem suspicio sceleris cecidisset.

Simillima sunt haec: Schol. 283, 2: ‚Hic P. Scipio Aemilianus ... repentina morte domi suae interceptus est, *non sine infamia et ipsius C. Gracchi et uxoris suae Semproniae: qui excessit vita sex et quinquaginta annos natus; in eiusque faucibus vestigia livoris inventa sunt.*‘ Vell. Pat. II, 4: ‚Hic, eum interrogante tribuno Carbone, quid de Ti. Gracchi caede sentiret, respondit, si is occupandae rei publicae animum habuisset, iure caesum; ... mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam *clisarum faucium in cervice reperirentur notae.* De tanti viri morte nulla habita est quaestio. — *Decessit anno ferme quinquagesimo sexto.*’ Liv. per. LIX: ‚Cum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut ... rogationem eius P. Africanus gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, Ti. Gracchum iure caesum videri ... Cum P. Scipio Africanus eis adversaretur, fortisque ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. *Suspecta fuit, tamquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat;* de morte tamen eius nulla quaestio acta.’ Quod antem Livius et Velleius de morte Scipionis dissentiunt, differentiam ita ortam esse puto: Patavinus narrasse mihi videtur de mortis subitae causa nihil esse notum nisi in faucibus mortui livorem esse inventum: quem Paterculus ‚notam elisarum faucium’ esse existimabat,[3]) ignarus etiam veneno effici livorem.

Tertium argumentum est hoc: Schol. 293, 23: ‚L. iste *Scipio*, de quo loquitur, fuit in consulatu *C. Norbano collega.* Uterque autem pro partibus C. Marii et Cn. Carbonis contra Syllam fecerant: verum post bellum civile *per conloquium fraudulentum desertus est ab exercitu suo L. Scipio*, quum milites ad Syllam deficerent.’ Vell. II, 25: Felici deinde circa Capuam eventu *Scipionem Norbanumque consules* superat, quorum Norbanus acie victus, *Scipio ab exercitu suo desertus* ac proditus, inviolatus a Sulla dimissus est. Liv. per. LXXXIV: ‚... senatusque consultum *per factionem Carbonis et Marianarum partium* factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque et triginta tribus distributi sunt. Prae-

1) cf. Stangl: Zur Textkritik der Scholiasten cic. Reden. M. Rh. XXXIX, p. 429. — 2) de nat. deor. III, 33, 81: Summo cruciatu supplicioque Q. Varius, homo importunissimus, periit, quia Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. — 3) pariter Gaumitz (p. 20): „Von Vergiftung spricht Liv. ep.59. Velleius und die Schol. Bob. lassen an Erdrosselung, an Erstickung denken.“ Sed cf. Suet. Caligula cap. I: ... diutino morbo Antiochiae obiit, non sine veneni suspicione. Nam praeter livores, qui toto corpore erant. . .

terea belli apparatum, quod contra Syllam excitabatur, continet.’ per. LXXXV: Sylla in Italiam cum exercitu traiecit, missisque legatis, qui de pace agerent, et ab consule C. Norbano violatis, eundem Norbanum proelio vicit. Et cum L. Scipionis, alterius consulis cum quo per omnia id egerat, ut pacem iungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis, *sollicitatus per emissos a Sylla milites*, signa ad Syllam transtulit. Scipio, cum occidi posset, dimissus est.’

De Valerio Maximo, qui multo rarius quam Paterculus cum scholiasta consentit, idem valere atque de Velleio, hoc uno exemplo probetur: Schol.: 306, 23: ‚Scipio hic, cuius facit mentionem, postea *Cn. Pompeii socer* fuit, in exitu belli civilis *sua manu interemptus.*’ Val. Max. III, 2, 13: ‚Eodem mentis proposito usus est Scipio Metellus: namque infeliciter *Cn. Pompei generi sui* defensis in Africa partibus classe Hispaniam petens, cum animadvertisset navem, qua vehebatur, ab hostibus captam, gladio praecordia sua transverberavit, ac deinde prostratus in puppi quaerentibus Caesarianis militibus, ubinam esset imperator, respondit ‚imperator se bene habet.’ Liv. per. CXIV: ‚P. Scipio in nave circumventus honestae morti vocem honestam adiecit: quaerentibus enim imperatorem hostibus dixit ‚imperator se bene habet.’

Scripta *Sallustii*, qui in commentariis bis (p. 235, 27 et 311, 4) commemoratur, saepius evolvisse interpretem concludi potest ex his:

Schol. 304, 27: Clodiam generis patricii feminam sororem huius, cum qua et ipse infamis erat, *veteres literae tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et immoderatius quam matronam deceret.*	Sall. Cat. 25: Set in eis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro liberis satis fortunata fuit: litteris Graecis et Latinis docta, *psallere saltare elegantius quam necesse est probae*, ...

Antea in scholiis scriptum videmus hoc (233, 30): ‚*Coeperat* quidem ante illum *orae maritimae praepositus M. Antonius piratas persequi*; sed rebus nondum confectis morte praeventus est.’ Quibus cum verbis si ea comparamus, quae leguntur in commentariis Pseudo-Asconii (p. 176): ‚Hic est *M. Antonius* dissolutissimus *curator totius orae maritimae*, Cretae mortuus, ... quem *Salustius* ait perdundae pecuniae genitum et vacuum a curis nisi instantibus’ — et quae apud schol. ad Juv. 8, 15: ‚*Antonius* triumviri Antonii pater, *curator, ut ait Sallustius, orae maritimae*, qua Romanum esset imperium, *contra piratas*[1])’ facile conicimus scholiastam quae narrat, e Sallustii historiis sumpsisse.

Haec de Sallustio. Omittamus autem *Cornelium Nepotem* atque *Plinium maiorem*, cum hunc Bobiensi non ignotum fuisse e Maii notis (p. 232) eluceat, illius vero ex historiis a scholiorum scriptore multa translata esse Gaumitz diligenter demonstraverit (p. 21, sq.).

C.

Quaestio, num *Asconii* commentarios Bobiensis scholiasta noverit eisque usus sit, est difficillima duabus de causis: primum quod ad unam tantum orationem (Milonianam) utriusque scholia servata sunt, deinde quod scholiasta Bob. fontes consulto occulit. Quod

1) Sic Ruhnk. ad Vell. II, 31,3 textum corruptum correxit. cf. Sall. edit., quam recensuit R. Dietsch Lips. 1859. vol. II. p 77.

etiam hinc elucet: Cornelius Nepos, cuius liber scholiastae in manibus est, tradit (Themist. 9, 1): ‚Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transisse. Sed ego potissimum *Thucydidi* credo, ... Is autem ait ad Artaxerxen eum venisse.' Sed Bobiensis neque Nepotem auctorem neque Thucydidem enuntiat, cum scribat (311, 28): ‚ad Xerxem venit, sive, ut *quidam* putant, ad Artaxerxem.' — Cum autem ei, qui existimat Bobiensem interpretem nosse scholia Asconii, concedendum sit lectoribus scholiastae Bobiensis eundem non ignotum fuisse, nemo opinabitur se in commentariis multos locos ad verbum ex Asconio transscriptos reperturum esse. Immo Gaumitz collatis Milonianis scholiis sic iudicat (l. l. p. 28): „Die Verschiedenheit der Einzelheiten lässt zur Genüge erkennen, dass unmöglich der Bobiensis hier den Askonius zur Vorlage hatte, dass er also höchstwahrscheinlich dessen Kommentar zur Miloniana gar nicht kannte" et idem singulis praeterea locis quibusdam comparatis p. 30: „Aus der ganzen Vergleichung ergiebt sich das freilich negative Resultat, dass der Bobienser Scholiast den erhaltenen Teil des Askonius nicht ausschrieb." Equidem puto in Bobiensibus commentariis vestigia Asconii inveniri. Interpretis quidem alicuius Tulliani opinionem sibi notam esse ipse Bobiensis testatur hoc loco (298, 7): ‚Videtur istic vel ipsum Pisonem, vel quod ab aliis[1]) proditum est, Gabinium significare.' Quem enim Cicero illo ‚quidam' (pro Sest. XIX, 43) significare vellet, nemo scholiastam docere poterat, nisi interpres Tullii. Asconii autem vestigia sunt haec:

Schol. 281, 3: Nam quum *M. Aemilius Lepidus* interregno fungeretur, et plerique inita conspiratione hoc *ab eo postularent*, maxime urguentibus Milonis competitoribus, *ut haberet comitia consularia;* respondit, civiliter non posse per se comitia haberi, *quoniam primus interrex illo tempore esset proditus biduo post interemptionem P. Clodi*: et erat in vetere consuetudine, ut non is, [qui primus interrex, sed] qui loco secundo crearetur, [comitia haberet] (Z 14.). Non obsequens tamen illi conspiratae multitudini, quam Plautius *Hypsaeus* et Metellus *Scipio* concitaverant, in periculum deductus est, *ut domus eius inpugnaretur, et obsidionem dierum quinque pateretur*: cui ad extremum *sola factio Milonis auxilio fuit; qua decertante cum adversaria perfectum est, ut exueretur* (Z 15) *periculo*, quo artissime premebatur.

Ascon. 43, 19 = 37, 25: *Post biduum medium quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Aemilius Lepidus.* Non fuit autem moris ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. Sed *Scipionis* et *Hypsaei* factiones, quia recens invidia Milonis erat, *cum contra ius postularent, ut interrex ad comitia consulum creandorum descenderet*, idque ipse non faceret, *domum eius per omnes interregni dies — fuerunt autem ex more quinque — obsederunt.* Deinde omni vi ianua expugnata et ... Post quae *supervenit Milonis manus* et ipsa postulans comitia; cuius adventus fuit saluti Lepido: *in se enim ipsae conversae sunt factiones inimicae, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est.*

Duos, quos iam allaturus sum, locos etiam Gaumitz (p 29) in disceptationem vocavit:

Schol. 282, 32: Ac primo quidem dicit de Livio (Z 427) Druso, qui *consulibus Sexto Cae-*

Ascon. 68, 9 = 60, 24: Puto vos reminisci has esse leges Livias, quas *illis (sc. L. Marcio*

1) De plurali numero conferas 311, 28: ‚ut quidam putant' i. e., ut supra demonstravimus: ut Thucydides putat.'

sare et Philippo quum partes senatus in tribunatu suo contra plebem *suscepisset* ...

Sex. Iulio) consulibus M. Livius Drusus tribunus plebis tulerit. Qui *cum senatus partes tuendas suscepisset* et leges pro optimatibus tulisset, ...

Schol. 330, 2: Nam tres illis temporibus Curiones illustri nomine extiterunt, atque ita in libris adhuc feruntur; Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit; et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit; et tertius ille Curio tribunicius, qui *bello civili* Pompeiano in Africa periit: quum enim *esset partium Caesaris*, oppressus est ab equitibus Iubae regis.

Ascon. 73, 12 = 65, 19: Supererat autem ex eis, qui illa iudicia metuerant, vigens tum maxime C. [Curio pater] Curionis adulescentis eius, qui *bello civili Caesaris fuit partium.*

Posse casu effectam esse priore loco similitudinem concedo, altero etiam Gaumitz negat — immo conicit Asconium et Bobiensem eisdem ex libris hausisse. Quae coniectura firmari videtur his Ciceronis et historicorum locis: Cic. Brut. XXXII, 122: ‚Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere, sane inlustris orator ... Sunt enim et aliae et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio' (cf. de inv. I, 43, 80). Liv. per. CIX: ‚Et C. Curionis tribuni plebis primum adversus Caesarem, dein pro Caesare actiones continet.' Vell. Pat. II, 48, 4: ‚Hic primo pro Pompei partibus, — mox — pro Caesare stetit.' II, 55, 1: ‚occiso Curione, *Iulianarum* duce *partium*.' Verisimillimum autem est etiam Asconium aut in argumento aut in notis ad orationem in Clodium et Curionem scriptam tres Curiones disiunxisse, cum saepius homines, quibus idem nomen est, diligenter distinguat. cf. 63, 12 = 56, 2: ‚Fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli, ex quibus duo ... ' 67, 4 = 59, 14: ‚M. Cottam significat. Fuerunt autem tres: duo ...' 73, 17 = 65, 25: ‚Duo fuerunt eo tempore Dolabellae, quorum alterum ... ' Atque alio loco, ubi scholiastae idem narrant, mihi quidem apertum videtur esse Asconium et Bobiensem non eodem fonte usos esse, sed hunc illius scholiis esse edoctum. Conferamus haec: Ascon. 44, 9 = 38, 21: ‚Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, si cui non omnes eae probantur, postulat, ut dividatur. *Forsitan nunc hoc quoque velitis scire, qui fuerit, qui id postulaverit. Quod non fere traditur*: non enim ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum ac ne consurgendum quidem utique est; multi enim sedentes hoc unum verbum pronuntiant ‚Divide': quod cum auditum est, liberum (est) ei, qui facit relationem, dividere. *Sed ego, ut curiosius aetati vestrae satisfaciam, Acta etiam totius illius temporis persecutus sum*; in quibus cognovi pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, ... ; postero die, id est Kal. Mart. (T.) Munatium in contione exposuisse populo quae pridie acta erant in senatu: in qua contione haec dixit ad verbum: ‚*Cum Hortensius dixisset, ut extra ordinem quaereretur* apud quaesitorem, ... *invenimus Fufium, qui diceret ‚Divide;*' reliquae parti sententiae ego et Sallustius intercessimus.' Haec contio, ut puto, explicat, et quid senatus decernere voluerit, *et quis divisionem postulaverit*, et quis intercesserit et cur.'

Schol. Bob. (281, 34) ad eundem Milonianae locum (§ 14): ‚Sensus hic in obscuritate est: illud enim in proposito habet Tullius docere, ab senatu nihil contra Milonem statutum. Et primo quidem ita conceptam fuisse sententiam, ut de illa caede veteribus legibus extra

ordinem quaereretur; *sed e diverso extitisse alium, qui contra diceret* (*sive **Fufium Calenum**,*[1]) *sive alius ille fuerit, videbimus*) postularetque, ut sententiae divisio fieret. Hoc autem solebat accidere, quum ... ' Sequitur expositio, quid sit ‚sententiam dividere' et cur nostro loco postulatum sit, ut sententiae divisio fieret. Qua in re manifestus error scholiastae Tullianum quendam locum (pro Mil. VI, 14) falso interpretantis deprehenditur[2]). Cui additur: ‚*Pro Milone autem obnixe laborasse Q. Hortensius videbatur.*'

Asconius igitur, ut inveniret, quis illud ‚divide' dixisset, persecutus est, cum aliunde hoc cognoscere non posset, totius illius temporis acta: quae Bobiensi non in manibus fuisse, quicunque commentarios eius legendo percucurrerit, facile concedet. Ergo quis hanc rem docere potuerit nisi Asconius, nescio. Simul apparere mihi videtur scholiastam, quae de Hortensio (quem Cicero suo loco non commemorat) scripsit, non additurum fuisse, nisi in fonte legisset Fufium postulasse, ut sententia divideretur *Q. Hortensii.* Scholiastae autem verbis: ‚sive Fufium Calenum, sive alius ille fuerit videbimus' optime demonstratur Bobiensem fontibus occultatis id studuisse, ut lectores ipsius doctrinam admirarentur — frustra enim in sequentibus quaeres, ubi eadem de re iterum agatur. Neque mirum est, quod Asconius ‚Fufium' memorat, Bobiensis autem ‚Fufium Calenum', cum hic Q. Fufium Calenum se ex orationibus Tullianis satis nosse ipse fateatur p. 330,10: ‚auctore huius conspirationis Q. Fufio Caleno tribuno pl., cuius mentionem creberrimam Tullius in Philippicis orationibus facit' (cf. p. 235,12).

Transeamus ad ea, quae Hermanno Gaumitz obstare videntur, quominus Asconius et Bobiensis inter se consentiant. Cum eis, quae modo exposui, convenit opinio, quae mihi est, scholiastam nostrum eis in rebus, quas et ex Asconii scholiis et easdem aliis ex libris cognoscere poterat, potius Ciceronem, Livium, alios sequi quam Asconium. Iam intellegimus, cur scholiastae in argumentis ad Milonianam bis dissentiant. Namque de Clodii morte[3]) Bobiensis Livium secutus videtur, id quod verisimile mihi videtur fieri his:

Schol. 275,3: ut metu peragitatus ad Bovillas in cauponulam quandam P. Clodius fugiens concederet ... iniecto (sc. cadavere) in curiam Hostiliam faces subiectae sunt ab turbulenta et sordida multitudine, ... Cn. etiam Pompeius, qui tunc sine collega tertium consulatum gerebat, tulit legem, ut de eadem caede extra ordinem quaereretur.	Liv. per. CVII: P. Clodi a. T. Annio Milone, candidato consulatus, Appia via ad Bovillas occisi corpus plebs in curia cremavit ... Cn. Pompeius delato ei a senatu populoque consulatu consul tertio factus est absens est solus, quod nulli alii umquam contigit. Quaestione decreta ...

De altero autem loco (Schol. Bob. 281,35 et 282,12; Ascon. 44,17 = 39,4 et 37,14 = 31,20) verba non facienda sunt, cum Gaumitz ipse exponat differentiam ea re ortam esse, quod scholiasta e Ciceronis oratione (pro Mil. VI,14) sententiam suam hauserit. Restat, ut de eis loquar, quae scholiastae varia tradunt de L. Domitio Ahenobarbo (cf. Gaumitz p. 27). Cum autem, quae mihi de hac differentia est, opinio facilius perspiciatur, si de Bobiensis doctrina actum erit, liceat mihi infra[4]) de re amplius dicere, nunc autem hoc unum praemittere: mea sententia scholiastae nostri errorem esse causam dissensionis. Hactenus de Asconio. Quaerentibus autem, cur Bobiensis scholiasta illius commentariis tam leviter atque neglegenter usus sit, respondemus: et sua potius doctrina gloriatur, et plus eius interest Tullii artem oratoriam demonstrare[5]), quam res singulas interpretari.

1) cf. 330,10. — 2) cf. Gaumitz p. 26. — 3) Gaumitz p. 25. — 4) cf. p. 22 sq. — 5) cf. p. 25 sq.

D.

Iam afferam locos quosdam, quibus nihil obstare demonstrem, quominus credamus scholiastam omnia fere, quae ad historiam pertinent, e libris Ciceronis, Livii, Sallustii, Asconii didicisse. Saepius e scholiastae verbis concludere poterimus, quid in Livii libris amissis scriptum fuerit.

Scholiasta Bobiensis narrat: 229,22: C. Antonium collegam Ciceronis a M. Caelio[1]) Rufo accusatum esse. cf. Cic. pro Caelio XXXI, 74: ‚Accusavit (sc. Caelius) C. Antonium, collegam meum.'

229,24: ‚Nec ignoramus praefuisse (sc. Antonium) exercitui, quo Catilina superatus est: quamvis ipse Antonius *vel pedum valetudine vel conscientia retardatus* Petreium legatum suum miserit, qui cum hoste confligeret.' et 249,22: ‚quum ipse consul *retardari pedum valetudine videretur, re autem vera hostibus congredi nollet.*' cf. Sallust. Cat. 59: ‚C. Antonius, *pedibus aeger*, quod proelio adesse *nequibat*, M. Petreio legato exercitum permittit.' Livius (cf. per. CIII) tradidisse videtur Antonium dimicare noluisse. cf. Cass. Dio XXXVII, 39.

233,28: ‚Q. Metellus — administrationem provinciae Cretae ipse suscepit, et ibidem confecto bello cognomentum ex virtute — Cretici meruit.' cf. Liv. per. C.: ‚Q. Metellus perdomitis Cretensibus liberae in id tempus insulae leges dedit.'

246,2: ‚deprehensis in ponte Mulvio Allobrogum legatis.' cf. Cic. Cat. III, 2, 5, sq. et Sall. Cat. 45.

249,33 de Mario: ‚*senatu decernente cum filio* exulavit, et in Africa delituit aliquamdiu, postea vero bello civili exorto, *quod adversum se Cn. Octavius et L. Cinna gesserunt*, in Italiam rediit.' et 257,26: ‚qui Syllanis armis cedens cum filio *in Minturnensium paludibus latuit.* Inde emissus, quoniam non potuisset *occidi, navigio inpositus in Africam pervectus* ... ' cf. Liv. per. LXXVII: ‚Ex qua XII *a senatu* hostes, inter quos C. Marius *pater et filius*, iudicati sunt. ... C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater cum *in paludibus Minturnensium lateret*, extractus est ab oppidanis, et cum missus ad *occidendum* ... *inpositus publice navi delatus est in Africam.*' et per. LXXIX: ‚*L. Cornelius Cinna* consul ... *pulsus urbe ab Cn. Octavio collega* — bellum urbi intulit *arcessito C. Mario* ex Africa cum aliis exulibus'. cf. Vell. Pat. II, 19 sqq.

259,4 (cf. 261,6) narratur de publicanis, qui querebantur in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse et postulabant, ut induceretur locatio (cf. Cic. ad Att. I, 17,9), atque de Catone (259,10): ‚Adfuit (Z 424) igitur Caesar causae publicanorum eorumque desideriis. Contradixit pro rigore (cf. Stangl l. l. p. 429) duritiae suae M. Cato, et *diem totum prolixitate orationis suae occupavit*, ut senatus decernendi spatium non haberet.' cf. Cic. ad Att. I, 18,7: ‚qui (sc. Cato) miseros publicanos — tertium iam mensem vexat neque iis a senatu responsum dari patitur.' Verisimile est scholiastam, quae tradit, apud Livium legisse; scriptum enim est apud Val. Max. II, 10,7: ‚cum (sc. Cato) invito C. Caesare consule adversus publicanos *dicendo* in curia *diem traheret* ...'

271,14: ‚quod (sc. Gabinius) regem Ptolemaeum, *acceptis decem millibus talentum* ... restituisset in regnum suum.' Idem invenimus 356,26. De Gabinio illa historia apud Ciceronem est notissima (de Gabinio et Pisone Clodii amicis et de eorundem provinciis cf. de domo IX, 23; XXI, 55; XXIII, 60; XLVII, 124; pro Sest. XXV, 55, XLIII, 93. De rege

1) cf. annot. Orellii.

Aegyptio: in Pis. XXI, 28; cf. etiam schol. 313, 21 et Liv. per. CV: ,A. Gabinius proconsul Ptolemaeum reduxit in regnum Aegypti.'). Gabinium esse corruptum pretio decem milium talentum cognoscitur ex or. *pro Rab. Post. VIII, 21.*

272, 1: ,... quod illius (sc. Gabinii) *edicto* fuisset L. Aelius *eques R.*, cui *familiaris ami-citia cum M. Tullio* fuerat, *relegatus.*' cf. Cic. in Pis. XXVII, 64: ,videre *equites Romani* non possunt, *quo ex ordine — L. Aelius* est te consule *relegatus.*' pro Sest. XII, 29: ,L. Lamiam, qui, cum me ipsum *pro summa familiaritate*, quae mihi cum patre eius erat, unice *diligebat* — in contione *relegavit.*' Similiter scriptum est de Aelio in or. cum senatui gratias egit V, 12. Ascon. 10, 9 = 9, 4: ,L. Lamiam a Gabinio consule *edicto relegatum esse iam diximus*'.

272, 7: ,quod *maluerit* (sc. Q. Metellus Numidicus), *in exilium ire, quam iurare* in agrariam legem tribuni pl. Apulei Saturnini.' cf. Cic. pro Sest. XVI, 37 atque XLVII, 101 de Metello: ,cumque in eam legem (sc. L. Saturnini), quam non iure rogatam iudicaret: *iurare* unus *noluisset, de civitate maluit* quam de sententia *demoveri.*' Liv. per. LXIX: ,L. Apuleius Saturninus — cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, quod in eam non iuraverat, diem dixit. Qui — *in exilium voluntarium* Rhodum profectus est.'

277, 33 de Mario: ,Saturninum et Servilium Glauciam *Capitolio deductos* interfici iussit.' Agitur de eadem re 347, 14: ,C. Gracchi et L. (St. 235) Saturnini exempla intulerat, quorum alter in Aventino interfectus est, alter *Capitolio deductus* cum Glaucia praetore iugu-latus.' Rem commemorat Cic. in Cat. I, 2, 4. III, 6, 15. Brut. LXII, 224. Illud ,*Capitolio de-ductus*' fortasse apud Livium scriptum erat, cf. per. LXIX: ,Quibus rebus concitato senatu, in cuius causam et C. Marius — transierat, oppressus armis cum Glaucia praetore — inter-fectus est (sc. Apuleius Saturninus).' De C. Graccho in Aventino occiso vide Liv. per. LXI et Vell. Pat. II, 6.

279, 6: ,Fuit autem C. Lusius tribunus militum sororis filius C. Mari, qui bello Cimbrico P. Trebonium sive Arruntium militem suum ...' cf. Val. Max. VI, 1, 12. ,— C. Marium — cum C. Lusium sororis suae filium, tribunum militum, a. C. Plotio manipulari milite iure caesum pronuntiavit, —.' Apud Plutarchum (Mar. 14) militi nomen est Trebonii, apud Quin-tilianum (inst. or. III, 11, 14) Arruntii. Etsi conicere licet Livium (in libro LXVII) habuisse nomina ,Trebonii sive Arruntii,' tamen certi quidquam concludi non potest, quoniam scholiasta a Valerio differt. Cum autem et ea ex re, quod varia militis nomina tria memoriae prodita sunt, et e Ciceronis de inventione libro altero (cap. 42, § 124) eluceat exemplum illud ,relationis criminis' a multis narratum esse atque oratoribus notissimum fuisse, neque Valerius unde hauserit, quae scripsit, potest decerni, neque Bobiensis, quem arti oratoriae studuisse apertum est.[1])

280, 1: ,*Titum Munatium Plancum* significari manifestum est ... Hunc vero ambustum tribunum pl. eapropter dicit, quod aut videri hoc velit *ipso instigante incensam curiam*, aut eundem ardentis curiae *incendio esse deterritum, quominus concionaretur.*' cf. Ascon. 43, 7 = 37, 12: ,*T. Munatius Plancus* et Q. Pompeius Rufus tribuni pl. — *contionati sunt* eo ipso tempore, *plebemque* in Milonem *accenderunt*, quo propter Clodi corpus *curia incensa est, nec prius desti-terunt, quam flamma eius incendii fugati sunt contione.* — Ob hoc T. Munatium ambustum tribunum appellat; fuit autem paratus ad dicendum.'

1) cf. p. 25 sq.

284, 10: ,— occidisse Marcum etiam Papirium videbatur (sc. Clodius) equitem Roma-num; eo scilicet tempore, quo decertatio ibidem inter Pompeianos et ipsius factionem com-missa est, quum per fraudem emisisset e custodia Tigranis filium nuper ex Armenia per Cn. Pompeium sorte captivitatis abductum eique potestatem discedendi liberam permisisset. Videtur e numero Pompeianorum M. Papirius interemptus.' De Tigrane Armeniae rege superato narrant Livius (per. CIII) et Vell. Pat. (II, 37), de Tigranis filio a Clodio per frau-dem e catenis liberato atque de M. Papirio occiso multis verbis Asconius (47, 18 = 41, 24).

Ad Ciceronis (pro Mil. XV, 39) verba: ,septem praetores, octo tribuni plebei illius adversarii, defensores mei' memorat schol. Bob. 288, 15: ,*Praetorum e numero* unus *defuit Appius Claudius, tribunorum* e numero *Q. Numerius et Atilius Serranus;* qui restitutioni Ciceronis adversati esse traduntur.' Conferas, quae Asconius ad hunc Tullianum locum (in Pis. XV, 35): ,De me cum omnes magistratus promulgassent praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emptos tribunos ...' notat 11, 15 = 10, 17: ,Frater ille inimici mei, id est P. Clodi, *Ap. Claudius fuit praetor.* Duos *tribunos*, — quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, *Sex. Atilium Serranum* et *Q. Numerium* significat.'

Quae 299, 18 de Mucio Scaevola[1]) narrantur, multo accuratius et verbosius a Livio (II, 12) tradita sunt.

299, 23: ,De P. Crasso dicit, qui victoribus L. Cinna et C. Mario proscriptus, quum ad mortem quaereretur, sua se dextera interfecit; vir inlustris et *qui de Hispania triumphaverat.*' P. Crassum sua manu vitam exhausisse ipse Cicero commemorat suo loco (pro Sest. XXI, 48), de or. III, 3, 10; pro Scauro apud Ascon. 23, 8 = 21, 3; Tusc. disp. V, 19, 55 (ubi scriptum est: Cinna — praecidi caput iussit P. Crassi). Atque cf. Liv. per. LXXX: ,Cinna et Marius in urbem recepti sunt. — Crassus filius ab equitibus Fimbriae occisus: pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit.' Ascon. 23, 11 = 21, 7: ,Periit autem (sc. P. Crassus) in dominatione L. Cinnae' 14, 14 = 13, 3: ,M. Crassi pater P. Crassus ante bellum Italicum *de Hispanis triumphavit*'.

302, 35: ,Ipse enim Cato tribunus pl. designatus Lentulum et Cethegum et ceteros censuerat capite puniendos' cf. Sall. Cat. cap. 52 — 54. Liv. per. CII.

307, 22: ,de Cn. Pompeio, quem constat ex Africa post oppressum Domitium Clupeanosque[2]) fugitivos; ex Ponto victis Mithridatis copiis[3]); de Hispania post occisum Q. Sertorium et oppressum M. Perpernam Lusitanisque victis triumphasse.' cf. Liv. per. LXXXIX: ,Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam regem Numi-diae bellum molientes victos occidit et — ex Africa triumphavit.' In per. C – CII de bello Mithridatico narratur. Per. LXXXXVI: ,Sertorius a M. Perperna et M. Antonio et aliis coniuratis in convivio interfectus est. — Imperium partium ad M Perpernam translatum, quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias ... '

De Q. Metelli Celeris morte (308, 12) cf. Cic. pro Caelio or. cap. XXIV.

308, 26 et 320, 7 scholiasta bis idem prodit de L. Vettii indicio; priore autem loco scripsit: ,Vettius — indicium (St. 429) detulerat ad senatum, sibi per quosdam praepotentes et nobiles consulares caedem mandatam, ut ingredientes forum *Cn. Pompeium et C. Caesarem*

1) cf. p. 16 annot. 2. 2) ita Orelli (in notis) scribendum docet. 3) cf. Halm M. Rh. XXXVII p. 431; Z. 431; St. 438.

interficeret', contra altero: ,L. Vettium — professum esse apud senatum se indicaturum plerosque nobilissimos viros *de interficiendo Pompeio* inisse coniurationem.' Cicero, qui de eadem re multa verba facit (in Vat. X, 24—XI, 26), haec exhibet (in Vat. X, 24): ,cum L. Vettium, qui in senatu confessus esset se cum telo fuisse, mortem *Cn. Pompeio* suis manibus offerre voluisse ...' Idem invenitur apud Plutarchum (Lucull. XLII): *'Αγανακτούντων δὲ τῶν βελτίστων ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις προῆγον οἱ Πομπηϊανοὶ Βρέττιόν τινα συνειληφέναι λέγοντες ἐπιβουλεύοντα Πομπηΐῳ. Κἀκεῖνος ἀνακρινόμενος ἐν μὲν τῇ συγκλήτῳ κατηγόρησεν ἑτέρων τινῶν, ἐν δὲ τῷ δήμῳ Λούκουλλον ὠνόμασεν. ὡς ὑπ ἐκείνου παρεσκευσμένος ἀποκτεῖναι Πομπήϊον'.* Sed Bobiensem illud ,et C. Caesarem' non ipsum finxisse apparet Appiani verbis (bell. civ. II, 12): *,Οὐέττιος δ' ἀνὴρ δημότης, ἐς τὸ μέσον ἐσδραμὼν μετὰ ξιφιδίου γυμνοῦ. ἐπιπεμφθῆναι ἔφη πρός τε Βύβλου καὶ Κικέρωνος καὶ Κάτωνος, ἐς ἀναίρεσιν Καίσαρός τε καὶ Πομπηΐου.'* Cum non aliis argumentis verisimile fiat Bobiensem Appiani ,bellum civile' nosse, conicio aut Livium aut Asconium Cn. Pompeium et C. Caesarem memorasse.

De Vatinii struma (312, 26) cf. Cic. ad. Att. II, 9, 2.

322, 6: ,ut Vatinius diceret (St. 429 sq.) ea propter se in tristiore habitu perseverasse, ne ratae viderentur supplicationes, quas decerni postulaverat C. Pomptinus rebus in Gallia prospere gestis.' De Allobrogibus victis cf. Cic. de prov. cons. XIII, 32 et Liv. per. CIII., triumpho Pomptinum ab inimicis prohibitum esse videmus apud Cic. in Pis. XXIV, 58; ad Quint. fr. III, 4, 6: ad Att. IV, 16, 12. Eundem, ut supplicationes decernerentur, postulasse mihi videtur Asconius memoriae prodidisse.

337, 9: ,Quippe antiquitus P. Claudius Appii Caeci filius primus ex isto genere Pulcher appellatus est. Hic consul apud Drapanam adversus auspicia Poenis classe conflixit. Ea pugna Romanorum naves perierunt CXX. Ob id factum dies ei dicta est (Z. 434) perduellionis a Pullio et Fundanio tr. pl. Quum comitia eius rei fierent et centuriae introducerentur, tempestas turbida coorta est. Vitium intercessit. Postea tr. pl. intercesserunt, ne idem homines in eodem magistratu perduellionis bis eundem accusarent. Itaque actione mutata, iisdem accusantibus, multa inrogata, populus eum damnavit aeris gravis CXX millibus.' cf. Liv. per. XIX: ,Claudius Pulcher consul, contra auspicia profectus, iussis mergi pullis, qui cibari nolebant, infeliciter adversus Carthaginienses classe pugnavit'. Val. Max. VIII, 1, 4: ,App. Claudius — pulcherrimam classem amisit, infesto populo obiectus, cum effugere debitam poenam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio tutus fuit a damnatione.' Scholiasta, cum numeros diligenter notet, Livium hic accuratius videtur secutus esse.

Notissima erat Bobiensi historia belli Iugurthini (351, 5) e Sall. bell. Iug. et Liv. libr. LXII, LXIV – LXVI.

355, 12: ,C. Marium *Iugurthinum* — non ignoramus in (Z. 24) doctrinae studiis alienum, et sola *rei militaris scientia* floruisse; Quintum vero Catulum non mediocriter literis liberalibus informatum' cf. Sall. de bello *Iugurthino* c. 63 (de Mario): *,militiae magna scientia*, animus belli ingens. — Set is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit.' De Catulo, viro docto et diserto, vide Cic. Brut. XXXV; de off. I, 37, 133; nostrum locum pro Archia III, 5.

355, 20 de Q. Metello Numidico: ,Qui de Iugurtha triumphavit.' Sallustius, quamquam multa enarrat et de rebus a Metello gestis (de bello Iug. cap. XLIII sqq.) et de Metello Romam redeunte (ib. cap. LXXXVIII), triumphum non commemorat. De quo testis est Vell. Pat. II, 11: ,Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus et meritum virtute ei cognomen Numidici inditum.' cf. Liv. per. LXV.

356, 4 de Lucullis: ,Significat Marcum et Lucium, quorum alter de Macedonia, alter de bello Mithridatico triumpharunt.' Marci triumphus memoratur in Ciceronis or. in Pis. XIX, 44, Lucii pro Mur. XVIII, 37. De eisdem haud dubie apud Livium, fortasse apud Asconium[1]) scriptum erat. Quae in sequentibus de Octaviis tradita sunt, Asconio debere mihi videtur scholiasta[1]). cf. Cic. Tusc. disp. V, 19, 55 et Brut. LX, 217.

358, 4: ,Sepulchrum fuisse traditur extra portam Capenam.' cf. Liv. XXXVIII, 56 ,Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento ...'

359, 1: ,Hic Brutus *Gallaecus* fuit *cognomento* ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas.' cf. Vell. II, 5: ,Ante tempus excisae Numantiae praeclara in Hispania militia D. Bruti fuit, qui penetratis omnibus Hispaniae gentibus, ingenti vi hominum urbiumque potitus numero, aditis quae vix audita erant, *Gallaeci cognomen* meruit.' Liv. per. LVI: ,Decimus Iunius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus *Gallaecos* pugnavit.'

363, 21: *Novitatem* Ciceronis multi quidem per illa tempora *contumeliis* agitare voluerunt, ut *Catilina* et Clodius et ipse, quamvis collega fuerit, *C. Antonius.*' cf. Ascon. 95, 8 = 84, 4: ,Huic orationi Ciceronis et *Catilina et Antonius contumeliose* responderunt, quod solum poterant invecti in *novitatem* eius.'

364, 10: ,M. Cato ille censorius et Tib. Coruncanius fuerunt e municipio Tusculano.' cf Cic. pro Plancio IX, 20: ,Num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe, num de Ti. Coruncanio municipe suo — gloriari?' Halm (in notis ad cap. VII. orationis pro Sulla habitae) potius credit Tacito, qui scripsit (Ann. XI, 24): ,Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo — in senatum accitos.'

364, 21: ,Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia belli socialis exarserunt (St. 444)' cf. Liv. per. LXXII: ,Initio belli a Picentibus moto Q. Servilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est.'

366, 9 ad Ciceronis verba: ,is tribunus pl. —, qui unus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, —'(pro Sulla X): ,Significat videlicet L. Calpurnium Bestiam sive (nam et hoc suspicari possumus) Q. Metellum Nepotem.' De Calpurnio Bestia lege Sall. Cat. cap. XLIII. et de Metello Nepote Cic. ad fam. V, 2, 6 sqq. Verisimile est de hac quaestione non facili Asconium accuratius disputasse.

Quae de Manlio Torquato (366, 20) interpres prodit, uberrime narrantur a Livio (VII, 10 et VIII, 7).

368, 25: ,Oratorie deplorat etiam illud tempus, quo damnatus est (sc. Sylla) ambitus crimine ...' cf. 361, 28: ,(Sylla) damnatus crimine ambitus' Ascon. 74, 12 = 66, 21: ,P. Syllam et (P.) Antronium significat, quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus — ambitus damnarunt.' Idem invenitur 89, 2 = 79, 9 cf. Cic. de fin. II, 19, 62.

Denique apertum mihi videtur scholiastam quibusdam locis res nonnullas, quas ab historicis traditas esse non consentaneum est, alius ex interpretis Tulliani, i. e. Asconii notis

1) cf. quae p. 9 de Asconio exposita sunt.

cognovisse: cf. 257, 12: ,Significare autem candidatum videtur T. Ampium, suffragatorem vero Cn. Pompeium.' 324, 10 de Alfio: ,qui repulsam meruit in praeturae petitione.' 331, 31: ,Nam partim trecena milia, partim vero, secundum opiniones aliorum, quadringena accepisse dicuntur (sc. iudices a Clodio corrupti).' 354, 17: ,Hanc enim causam lege Papia de civitate Romana aput Quintum Ciceronem dixit Archias huius M. Tullii fratrem.'

Quibus omnibus in enumerandis praetermisi ea, quae ex eadem oratione, ad quam notae pertinent, sumpta sunt vel quae (ex orationibus amissis) sumpta esse probabile est.[1]) Neque fontes inquirendos putabam earum rerum, quas Bobiensis scholiasta ut vir artis oratoriae peritus minus ex libris quam a magistris didicisse videtur.[2])

II. De scholiastae doctrina.

A. De legum atque rerum antiquarum scientia.

Gaumitz (p. 24) laudata scholiastae doctrina triginta quattuor leges enumerat a Bobiensi commemoratas — unam omisit: legem Calpurniam (trib. L. Pisonis) de repetundis (233, 24). Quibus legibus tractatis minime demonstratum est scholiastam disciplina iuris eruditissimum vel rerum antiquarum peritissimum fuisse, cum omnia fere,[3]) quae de legibus exponit, eisdem in libris (sc. Ciceronis, Livii, Sallustii, Asconii) invenisse videatur, e quibus reliquam doctrinam fluxisse intelleximus. Iam singulas leges persequamur. Sunt autem hae:

1. *lex Apuleia (L. Saturnini) agraria:* cf. ea, quae p. 12 ad 272, 7 notavimus.

2. *lex Aurelia (L. Cottae) iudiciaria:* 339, 13: ,Hic (sc. L. Cotta) fuit auctor iudiciariae legis Aureliae, qua senatoribus abrogata est summa potestas iudicandi, et *communicata* cum equitibus Romanis et tribunis aerariis, ita ut in iudiciis esset minor numerus senatorum.' Similia sunt 229, 17 et 235, 12; cf. 340, 4. Ascon. 16, 19 = 15, 8: ,Legem iudiciariam — tulit L. Aurelius Cotta praetor, qua *communicata* sunt iudicia senatui et equitibus Romanis et tribunis aerariis' et 67, 5 = 59, 15: ,L. Cotta, qui lege sua iudicia inter tres ordines *communicavit* senatum, equites, tribunos aerarios.' Minus sunt accurata, quae inveniuntur apud Livium (per. XCVII) et Velleium Paterculum II, 32.

3. *lex Caecilia Didia de legum latione:* 310, 7: ,Caecilia est autem et Didia (Z. 22), quae iubebat in promulgandis legibus trinundinum tempus observari.' cf. 300, 22. Cic. de domo XVI, 41: ,Si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo: sin eadem observanda sunt, iudicavit senatus M. Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam et Didiam latae essent, populum non teneri.' cf. ibid. XX, 53, or. Phil. V, 3, 8: ,Ubi lex Caecilia et Didia? ubi promulgatio trinum nundinum?'

4. *lex Calpurnia (trib. L. Pisonis) de repetundis:* cf. quae p. 3. ad 233, 22 scripta sunt.

---

1) ut unum exemplum afferam: scholiasta in oratione pro Flacco legisse videtur Appuleium Decianum ,in Pontum se et ad partes Mithridaticas contulisse' cf. schol. 230, 12. — 2) Exempli gratia credibile est Bobiensem (cf. 269, 27), etsi non legit, quae Cicero (Brut. XCI, 316) de Molone magistro prodidit, iam puerum de Tullio Apollonii discipulo didicisse. Neque quaerendum est, unde rhetori sit notum, quid inter altercationem et orationem conscriptam intersit (329, 16 sqq.). Etiam nomina Atti Curiatii (277, 18) et C. Mucii Cordi (299, 18), quae apud Livium non reperiuntur, in ludo literarum scholiastam audivisse consentaneum est. — 3) Legem Orchiam sumptuariam se Catonis e libris novisse testis est scholiasta (310, 32).

5. *lex Cassia tabellaria:* 303, 26: ,Hanc (sc. tabellariam legem) L. Cassius tulit, ut non voce suffragium pronuntiarent, sed tabella inscriberent, quasi securo et liberiore iudicio. Asconii e verbis 78, 3 = 69, 13: ,Quae sit illa lex Cassia qua suffragiorum potestas convaluit manifestum est; nam ipse quoque paulo ante dixit legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret' ad hunc locum orationis Cornelianae scriptis: ,Cassiam, qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit,' elucet Ciceronem ipsum in oratione amissa de hac lege uberius locutum esse. cf. Cic. pro Sest. XLVIII, 103. Brut. XXV, 97, XXVII, 106; de legg. III, 16, 35.

6. *Clodia (P. Clodii) de censoria notione:* 300, 26: ,Clodianarum legum facit enumerationem; quarum fuit et haec, ne liceret censori praeterire aliquem in senatu recitando, nisi eum, quem damnatum esse constaret.' cf. Ascon. 9, 11 = 8, 5: quartam (sc. legem tulit Clodius), ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset.' Ab Asconio autem legem accuratius quam a Bobiensi traditam esse testis est Cassius Dio (XXXVIII, 13): ,τοῖς τε τιμηταῖς ἀπηγόρευσε μήτ' ἀπαλείφειν ἔκ τινος τέλους μήτ' ἀτιμάζειν μηδένα, χωρὶς ἢ εἴ τις παρ' ἀμφοτέροις σφίσι κριθεὶς ἁλοίη.'

7. et 8. *leges Sempronia (C. Gracchi) frumentaria* et *Clodia frumentaria:* 300, 31: ,Antea (Z 21) quidem Gracchus legem tulerat, ut populus pro frumento, quod sibi publice daretur, in singulos modios senos aeris et trientes pretii nomine exsolveret. Sed hic anno suo P. frumentariam legem tulit, ut gratuito populus acciperet.' cf. 303, 30. Liv. per. LX: ,C. Gracchus, Tiberi frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit, inter quas frumentariam, ut senis et triente frumentum plebi daretur.' Ascon. 9, 4 = 7, 25 de Clodii lege: ,ut frumentum populo, quod antea senis aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.'

9. *lex Clodia de exsilio Ciceronis* commemoratur 309, 6. Legis verba discimus ex or. Ciceronis de domo (XVIII, 47 et XXXI, 82): ,ut M. Tullio aqua et igni interdictum sit.'

10. *lex Clodia de libertinorum suffragiis* 346, 9. Fortasse in or. de aere alieno Milonis cap. IV de hac lege scriptum erat. Atque cf. Ascon. 52, 14 = 46, 20

11. *lex Clodia de bonis Ptolemaei publicandis (insula Cypro publicanda):* 301, 16: ,ferente autem rogationem Clodio publicatum fuerat eius regnum, *quod diceretur ab eo piratas adiuvari.*' 302, 5: ,qui (sc. Cato) legatus Cyprum fuerat, quo regnum publicaretur.' 302, 12: ,adeo probavit rogationem Claudiam de bonis Ptolemaei publicandis M. Cato, ut consenserit in legationem.' cf. Cic. de domo VIII, 20: ,qui cum lege nefaria Ptolemaeum, regem Cypri — *causa incognita* publicasses — bello gerendo M. Catonem praefecisti.' Etiam in or. pro Sestio (XXVI, 57) Tullius affirmat regis amici bona esse publicata ,*nulla iniuria commemorata.*' Iniuriam autem commemorasse videtur Livius. Legimus enim apud Vell. Pat. II, 45: ,legem tulit, ut is quaestor — mitteretur in insulam Cyprum ad spoliandum regno Ptolemaeum, *omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum.*' cf. Liv. per. CIV: ,Lege lata de redigenda in provinciae formam Cypro et publicanda pecunia regia M. Catoni administratio eius rei mandata est.' — In schol. 301, 7 scriptum est: ,Hos (sc. reductos exules Byzantium) etiam lege sua revocaverat Clodius, quamvis fuissent iure damnati.' Hic quaerit Mai: ,Num haec addenda legibus Clodianis est?' Quod respondendum est, habes in or. de domo XX, 52: ,Tam hercule est unum, quam quod idem tu *lege una* tulisti, *ut Cyprius rex — cum bonis omnibus sub praeconem subiceretur et exsules Byzantium reducerentur*'.

12. *lex Fufia iudiciaria* commemoratur 235, 12. Q. Fufius Calenus teste Cassio Dione (XXXVIII, 8) *ἀναμὶξ πάντων τάς ψήφους — οὔσας εὑρὼν ἐνομοθέτησε στρατηγῶν χωρὶς αὐτοὺς ὡς ἑκάστους* (sc. senatores, equites, tribunos aerarios) *ψηφίζεσθαι*. Quam legem Asconio notissimam esse inde intellegitur, quod quater (30, 1 = 25, 14; 53, 16 = 47, 18, 54, 20 = 48, 22; 55, 7 = 49, 9) diligenter conscripsit, quot senatores, quot equites, quot tribuni aerarii reum absolvissent et quot condemnavissent.

13. *lex Gabinia de bello piratico*: 235, 30: ,Scimus Gabinia rogatione victos esse ab Cn. Pompeio imperatore piratas.' De hac re omnibus nota cf. Cic. post red. in sen. V, 11; de imp. Cn. Pomp. XVII, 52, XIX, 58; Ascon. 71, 14 = 63, 27; Liv. per. XCIX, Vell. Pat. II, 31.

14. *lex Iulia (C. Caesaris) de publicanis*: 261, 8: cf. p. 11 ad 259, 4.

15. *lex Iulia de pecuniis repetundis* commemoratur a scholiasta 310, 13 et 321, 15, a Cicerone pro Sest. LXIV, 135; in Pis. XXI, 50; pro Rab. Post. IV, 8, V, 12.

16. *lex Iulia agraria* 263, 25: ,Existimamus igitur eum legem Iuliam significare, quam Caesar consul agrariam tulerat de XX viris (St. 429) creandis; et per seditionem, quantum se habet fides *historiae*, et *M. Bibulo servante de caelo.*' cf. 317, 23. Liv. per. CIII: ,Leges agrariae a Caesare consule cum magna contentione *invito senatu et altero consule M. Bibulo* latae sunt'

17. *lex Licinia (M. Crassi) de sodaliciis*: 253, 17: ,pro Cn. Plancio dixit, qui reus de sodaliciis petitus est lege Licinia, quam M. Licinius Crassus Pompei magni collega in consulatu suo pertulit ... ut aput iudices editicios accusarentur, id est, ut pro voluntate accusatoris ederentur tribus, ex quibus unam tantummodo reicere posset reus.' cf. 261, 16, Cic. pro Planc. XV, 36: ,Sed aliquando veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniae, quae est de sodaliciis, omnes ambitus leges complexus es. Neque enim quidquam aliud in hac lege nisi editicios iudices es secutus: — non intelligo, quam ob rem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore neque ... ' Unam tantummodo tribum a reo reici posse sequitur ex his (ibid. XVI, 38): ,Quid Plancio cum Lemonia? quid cum Oufentina? quid cum Clustumina? nam *Maeciam*, non quae iudicaret, sed *quae reiceretur, esse voluisti.*' Vix dubitabit quisquam, quin de eadem lege Asconius in argumento Plancianae verba fecerit.

18. *lex Licinia Mucia (L. Crassi et Q. Scaevolae) de civibus redigendis*: 296, 22: Huius modi leges ferri dicebantur de civibus redigendis; qualem tulerat L. Licinius Crassus et Q. Mucius Scaevola, ut redire socii et Latini in civitates suas iuberentur.' cf. Ascon. 67, 12 = 59, 24: ,L. Licinium Crassum oratorem et Q. Mucium Scaevolam pont. max. eundemque et oratorem et iuris consultum significat. Hi enim legem, de qua loquitur, de redigendis in suas civitates[1]) sociis in consulatu tulerunt. Nam cum summa cupiditate civitatis Romanae Italici populi tenerentur et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est, ut in suae quisque civitatis ius redigeretur.'

19. *legem Mamiliam de coniuratione Iugurthina* sibi e Sallustii libro de bello Iugurthino, atque

1) In libris legitur: ,de regendis in sua civitate' atque in Ciceronis verbis, quae Asconius suo loco servavit: ,de civibus regundis.' Non autem dubium mihi videtur, quin haec in ,de redigendis in suas civitates' et ,de civibus redigundis' mutanda sint, id quod probatur illo: ,in suae quisque civitatis ius *redigeretur.*' Textum ita emendatum etiam in fragmentis Tullianis, quae Baiter et Kayser (vol. XI) ediderunt, repperi.

20. *legem Orchiam sumptuariam* Catonis e scriptis notas esse scholiasta ipse fatetur (311, 4 et 310, 32).

Trium, quae sequuntur, legum nomina tantum a Bobiensi allata sunt:

21. legis *Papiae de peregrinis* 354, 5 et 17, cf. Cic. pro Arch. V, 10.

22. legis *Pompeiae de vi* 277, 1; 282, 14 et 19; cf. Cic. pro Mil. VI, 15; Phil. II, 9, 22: Brut. XCIV, 324, Ascon. 37, 14 = 31, 21; 39, 15 = 33, 22; 54, 15 = 48, 17.

23. legis *Plautiae de vi* 368, 32. Catilinae socios lege Plautia accusatos esse historici memoriae prodiderunt, P. Sullam eadem ex lege reum de vi factum esse apud Asconium certe scriptum erat.

24 lex *Plautia Papiria (M. Silvani et C. Carbonis) de civitate sociis danda*: 353, 11; ,Tunc Silvanus et Carbo cos. legem tulerunt, ut omnes, qui essent ex foederatis populis, civitatem Romanam consequerentur, si modo illo tempore, quo lex lata esset, domicilium in Italia haberent et intra diem sexagesimum professi apud praetorem fuissent.' cf. Cic. pro Archia IV, 7: ,Data est civitas Silvani lege et Carbonis „si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent; situm, cum lex ferebatur,' in Italia domicilium habuissent“ et „si sexaginta diebus apud praetorem essent professi.“

25. *lex Sempronia (C. Gracchi) de publicanis*: 259, 7 cf. p. 11 ad 259, 4.

26. de lege *Sempronia (Tib. Gracchi) agraria* (303, 29) et de ,magna invidia, quam lex Tiberio conflavit', multa inveniuntur in Liv. per. LVIII.

27. De obscura lege *Titia de provinciis* a scholiasta nihil discimus, nisi quae Cicero eum docuit: 316, 23: ,Quaestor e *lege Titia provinciam tacitam et quietam*'[1]) cf. Cic. pro Mur. VIII, 18: ,Sed quaestura utriusque prope modum pari momento sortis fuit. Habuit hic *lege Titia provinciam tacitam et quietam*: tu illam ...'

28. *lex Tullia de ambitu*: 309, 16: ,Nam quod ait ab eo legem suam esse contemptam, significat eam, quae auctoribus consulibus eodem Cicerone et C. Antonio de ambitu lata est, multo severior quam fuerat illa Calpurnia; praescribebatur enim inter cetera, *ne candidatus ante biennium, quam magistratum petiturus esset, munus populo ederet*,[2]) propter ambitum scilicet' 362, 2: ,poenam de ambitu graviorem consules C. Antonius et Cicero *sanxerunt*, ut praeter haec veteribus legibus constituta etiam *exilio* multarentur.' cf. 269, 15; 324, 2. Cic. in Vat. XV, 37: ,cum mea lex dilucide *vetet biennio quo quis petat petiturusve sit gladiatores dare*, nisi ex testamento praestituta die.' (Idem est pro Sest. LXIV, 133). pro Plancio XXXIV, 83: ,Hic etiam addidisti me idcirco mea lege *exsilio* ambitum *sanxisse*, ut ...' cf. pro Mur. XXIII, 47. — Lange (Röm. Altert. III² p. 245) fidem habet eis, quae a scholiasta tradita sunt: non solum a Cicerone, sed etiam ab Antonio legem illam de ambitu latam esse. Sed haud scio, an Bobiensis, quem saepius parum diligentem se praestitisse infra[3]) demonstrabimus, erret, cum Cicero semper (pro Mur. II, 3; III, 5; XXIII, 47; XXXII, 67; pro Sest. LXIV, 133; pro Planc. XXXIV, 83), legem de ambitu ,*suam*' et ,*a se latam*' esse affirmet omisso collegae nomine, atque Cassius Dio scribat XXXVII, 29: ,*ἔδοξε τῇ βουλῇ* ...

1) Stangl annotat. l. l. p. 439: ,Orellis Vorschlag, nach obtigisset sei obtinebat oder ein ähnliches Verbum einzusetzen, als richtig anerkannt, schreibe ich: Obtinebant quaestores lege Titia ...' Cum manifestum sit interpretem Tullianum illum locum ante oculos habuisse, potius scribam: *Habebat* quaestor lege Titia ... — 2) ita legit Orelli (cf. eius notas). — 3) p. 21 sqq.

δέκα ἐτῶν φυγήν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος, τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι.' Fortasse apud Asconium Bobiensis legerat hanc legem latam esse *M. Tullio C. Antonio consulibus.*

29. *lex Vatinia de provincia Caesaris*: 317, 18: ‚Iam dictum est, servante de caelo Bibulo consule, hunc Vatinium legem tulisse de imperio Caesaris, ut exercitum per Illyricum et Gallias duceret.' cf. Vell. Pat. II, 44: ‚Tum Caesari decretae in quinquennium Galliae' Livius in libro CIII (per: ‚Caesar in provinciam Galliam profectus') certe rem uberius accuratiusque tractaverat quam scholiasta et Velleius.

30. De lege *Vatinia de reiectione iudicum* Asconium egisse existimo his de causis: scholiastae verba (321, 2) ‚ut *alternorum iudicum reiectio fieret'* ipsius legis verba videntur esse, cum eadem reperiantur apud Ciceronem pro Planc. XV, 36 (‚de ipso denique ambitu *reiectionem fieri* voluerit *iudicum alternorum').* Cum autem hoc loco Vatinii nomen non commemoretur, non credibile est huius loci Bobiensem meminisse in explanando illo Tulliano *‚de alternis consiliis* reiciendis' (in Vat. XI, 27). Simul ‚filiam M. Antonii, fratris Gaii, Vatinium habuisse in matrimonio' ab Asconio, non in historiis memoriae videtur proditum esse.

De quinque legibus, quae reliquae sunt, novi aliquid e notis Bobiensibus discimus. Quod non mirum est, quoniam Livii et Asconii librorum magnae partes amissae sunt. Restant enim:

31. *lex Aelia et Fufia de comitiis:* 319, 21: ‚Leges dicit Aeliam et Fufiam, quae non sinebant prius aliqua de re ad populum ferri, quam comitia haberentur ad designandos magistratus.' De qua re scripsit Lange (II[3]. p. 477): ‚Es müssen die Gesetze eine Klausel zu Gunsten der Wahlkomitien enthalten haben, etwa in der Art, daß die Inhaber des Rechtes der obnuntiatio verpflichtet wurden, bei Wahlkomitien keinen Gebrauch davon zu machen. Dies bestätigt die nur etwas ungeschickt formulierte, sonst durchaus glaubwürdige Notiz eines Scholiasten (i. e. Bob.).' Minime est laudi scholiastae, quod verbis non satis perspicuis legum ‚clausulam' tantum (quae ad locum Tullianum *non* pertinet) affert.

32. *leges Caeciliae (Q. Caec. Metelli Nepotis) de Pompeio:* 302, 21: ‚Q. Metellus Nepos tr. pl. quum plerasque leges per seditionem ferret, et praecipue duas, unam, ut absens consul Cn. Pompeius fieret, — et alteram, ut praesidio Italiae veniret adversus arma Catilinae, contradixit ei pleraque nobilitas et ipse vel maxime collega suus Cato, quum tamen C. Caesar praetor Metello tr. pl. adsisteret.' Altera Metelli rogatio est notissima. cf. Lange III[2], p. 264.

33. lex *Calpurnia (C. Pisonis) de ambitu:* 361, 31: ‚Aliquanto postea severior lex Calpurnia et pecunia multavit et in perpetuum honoribus iussit carere damnatos. Habebant tamen licentiam Romae morandi.' cf. 269, 17; 309, 19; 324, 3; Ascon. 68, 19 = 61, 11: ‚Lex haec Calpurnia de ambitu erat. Tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso cos., in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque poena erat adiecta.' cf. 75, 10 = 67, 12; 89, 1 = 78, 8. De ‚aliis poenis' Asconium dixisse conicio ad orationis pro Sulla habitae (c. XXVI, § 74) verba: ‚cum lege (sc. Calpurnia) retineretur, ipse se exilio paene multavit.'

34. *lex Cornelia (Baebia) de ambitu*: 361, 30: ‚Nam superioribus temporibus damnati lege Cornelia hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent.' A Livio (XL, 19) poena non tradita est. Verisimile autem est Asconium de Cornelia lege una cum Calpurnia egisse.

35. *lex Licinia Iunia (L. Murenae et D. Silani)* de legum latione: 310, 8: ‚Licinia vero et Iunia consulibus auctoribus Licinio Murena et Iunio Silano perlata illud cavebat, ne clam aerario legem ferri liceret, quoniam leges in aerario condebantur.'

Ne quis tamen putet scholiastam mihi prorsus rerum veterum imperitum esse atque omnia aliorum ex libris transtulisse — immo existimo illum saepissime eas res, de quibus breviter scripsit, memoriter narrasse Veterum enim quibusdam libris perlectis memoria fortasse tenuit, quae de ministratore (243, 20)[1]), de subsignandi causa (244, 12), de vocabulis ‚Palam factum' (249, 26)[2]), de tabula Valeria (318, 29), de aerario (332, 21) tradidit. — Quod autem Bobiensis, ut iam diximus, potius id studet, ut Ciceronis artem oratoriam demonstret, quam ut res veteres exponat, factum est, ut scholiasta fontibus neglegenter usus quaedam non satis perspicue vel falso narret[3]). Quod probabitur his:

a) 235, 32 scholiasta Mithridatem vocat Cappadociae regem. Unde error ortus sit, cognoscitur e Maii nota.

b) In or. pro Flacco XXXIV, 84 Cicero defendit Flaccum, cui crimini erat datum, quod Valeriae cuiusdam intestato mortuae bona Androni Sextilio coniugi iniuria ademisset. Cuius ‚negotialis quaestiunculae' tractationi inserit verba (244, 35): ‚Hoc autem iuris observabatur, ut loco filiarum haberentur, quae in manum viris convenissent' Haec ‚iuris observatio' ad Valeriam minime pertinet. Namque loco filiarum eae, quae in manum viris convenerant, habebantur mortuo *marito*, i. e. patre mortuo hereditas aequaliter veniebat ad uxorem atque ad singulos liberos[4]). Nostro autem loco quaestio est, num Valeria iam mortua sive usu sive coëmptione Androni in manum convenerit auctore Flacco tutore legitimo. Verisimile est Asconium de hereditatibus multa docuisse, Bobiensem autem illud ex hoc fonte haustum loco inepto posuisse.

c) Simile aliquid invenitur alio loco: 303, 34 schol. docet: ‚L. Marcius Philippus vir honestissime cognitus, qui etiam collega Cn. Lentulo Marcellino in consulatu fuit. Fratrem hic habebat uterinum L. Gellium, et ipsum quantum apparet Ciceronis inimicum. In quantum igitur *legem Philippi fratris* eius extulit, in tantum hunc defloravit, qui dissimilis extiterit.' Quae de Philippo et fatribus exponit, scholiasta certe Asconio debet, et verbis illis obscuris de lege Philippi annotatio aliqua Asconii a Bobiensi non satis intellecta subesse videtur.

d) Ad scholiastae (249, 13) verba: ‚Fuit enim Piso natione Campanus' annotat Mai: Quamquam genere Gallicanus, tamen Capuae natus erat Piso, quod praeter nostrum interpretem haud scio an quisquam dixerit', et Orelli: ‚Merus hic est scholiastae error, a Maio nimia cum facilitate receptus ac propagatus.' Unde error ortus sit, facile est intellectu. Cicero enim saepius superbiam illudens Pisonis, qui Capuae ‚in domicilio superbiae atque in sedibus luxuriae' (de lege agr. II, 35, 97) duumviratum gesserat (pro Sest. VIII, 19), hunc *consulem Campanum* vocat (de domo XXIII, 60; in Pis. XI, 24).

e) In or. pro Plancio XVI, 40 Tullius haec habet: ‚apud eosque me ne quinque quidem reiectis, quod *in proximo reo* de consilii sententia constitutum est, cogas causam de fortunis omnibus dicere?' Hunc ‚proximum reum' fuisse Vatinium de sodaliciis accusatum (defendente Cicerone) haud dubie ex Asconio scholiasta didicit (262, 6). Quam enim ignota ipsi haec res sit, alio loco apparet: in annotationibus ad or. in Vatinium habitam legitur

1) cf. ‚arma ministrare' Tac. Hist. IV, 12. Verg. Aen. I, 154. — 2) cf. Nepos Dion X, 2. — 3) cf. Gaumitz p. 17 ann. 2. — 4) cf. Lange R. A. I[3]. p. 113.

(322, 18): ‚Crimine *de sodaliciis* Vatinius coeperat accusari, de quo puniendo iis legibus cavebatur.' In Vatinium autem orationem habuit Cicero anno a. Chr. n. quinquagesimo *sexto*, pro Vatinio de sodaliciis accusato eodem anno, quo pro Plancio, i e. quinquagesimo *quarto*. ... Infra scriptum est ad or. pro Sestio cap. LXIV § 135 (310, 2): ‚Vatinius quum reus *de ambitu* fieret, appellavit collegium tribunorum et maxime P. Clodium, quo intercedente effectum est, ut accusatio, quae suscepta fuerat, non posset impleri.' Cum eodem loco Cicero ipse vehementer Vatinium vituperet, quod leges de ambitu neglexerit, scholiasta hoc ita intellegit, ut Vatinium reum de ambitu factum esse existimet, atque narrat, hunc tribunos appellavisse et Clodio imprimis adiutore iudicium disturbavisse — id quod accuratius iterum refertur (323, 1) ad or. in Vat. cap. XIV § 33: ‚Haec facta sunt, quum reus esset *de vi* P. Vatinius, accusante C. Licinio. Nam quum praetor C. Memmius quaesitorem sortito facere vellet etc.' Quod autem ita res scholiasta confundit, mirum est, quoniam e Ciceronis (in Vat. XIV, 33) verbis elucet Vatinium *lege Licinia et Iunia* postulatum per vim iudicium impedivisse appellatis tribunis pl. et nominatim Clodio, ne causam diceret.

f) 267, 10 falso interpretem coronam civicam dicere gramineam iam Mai animadvertit.

g) Difficilis est quaestio, quomodo factum sit, ut Asconius et Bobiensis varia tradant in scholiis ad or. pro Milone VIII, 22. Habes apud Asconium (46, 1 = 40, 1) haec: ‚Nam eo tempore, cum Cn. Manlius (cf. Gaumitz p. 27) tribunus plebis subnixus libertinorum et servorum manu perditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret et clivum Capitolinum obsideret, discusserat perruperatque coetum Domitius ita, ut multi Manlianorum interficerentur.' et apud Bobiensem (284, 27): ‚Nam quum C. Manilius post annum tribunatus sui, quem turbulentissime gesserat, causam de maiestate dicturus esset, accusante Cn. Minucio, id egit, ut (Z 427) per multitudinem conspiratam obsideret eundem Cn. Minucium accusatorem suum; cui obsesso auxilium tulit adgregata bonorum multitudine L. hic Domitius, ad quem loquitur, et quem vult in praesentia rerum (ita mihi scribendum videtur cum Orellio) exempla illins pristini vigoris imitari.' Equidem sequor Ricardi Beck[1]) sententiam (differentiae causam esse Bobiensis errorem) his de causis: vix credibile est, quod Hoelzl[2]), qui Bobiensem dignum putat, cui credatur, profert: Manilium, cuius Asconius et schol. Bob. in eisdem Ciceronis verbis explicandis mentionem faciant, unum eundemque esse, et *bis eundem L. Domitium eidem Manilio similiter* obstitisse — vel quod Gaumitz opinatur: *ab eodem Domitio et in C. Manilium et in Cn. Manlium impetum factum esse, cum uterque* — vel accusatorem — vel clivum Capitolinum — *obsideret*. Cum autem Cn. Manlius et C. Manilius facillime ab interprete nostro confundi possent, quod non solum nomina sunt simillima, sed etiam ab utroque lex de libertinorum suffragiis lata est[3]), atque cum ea re, quod apud Bobiensem, non apud Asconium nomen Minucii accusatoris invenitur, appareat illum praeter Asconii narrationem de Manlio aliis in libris de Manilio a Minucio accusato aliquid repperisse, verisimile est Bobiensem nomina Manlii et Manilii confundentem fortasse Livium potius quam Asconium secutum esse. Nemo enim dubitabit, quin a Livio narratum sit Manilium iratum, quod lex de libertinorum suffragiis auctoribus M'. Aemilio Lepido et L. Volcatio Tullo consulibus a senatu damnata esset (cf. Ascon. 66, 2 = 58, 5; Lange R. A. III², p. 219), Pompeii in partes transgressum esse et

1) ‚Quaestiones in Cic. pro Corn. or.' Diss. Lips. 1877. p. 24 sqq. — 2) ‚fasti praetorii' Diss. Lips. 876 p. 41. — 3) cf. Lange R. A. II³ p. 659.

rogationem de imperio Cn. Pompeii tulisse. cf. Liv. per. C: ‚Cn. Manilius tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur.' et Vell. Pat. II, 33: ‚Manilius tribunus plebis, semper venalis et alienae minister potentiae, legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur.' Eundem Livium etiam Manilium accusatum et tumultum in Minucium accusatorem excitatum commemorasse probabile est. — Potest etiam conici — ne hoc omittam — de his rebus Bobiensem certiorem factum esse aut Ciceronis oratione aliqua amissa aut Asconii argumento vel scholiis ad Tullianam pro C. Manilio orationem. Unum autem mihi non dubium est: ab interprete res confundente *falso* traditum est Minucio accusatori auxilium tulisse *L. Domitium*.

h) 305, 22 ad Ciceronis verba: ‚de illo senatus consulto, quod factum est in templo Virtutis' (pro Sest. LVI, 120) annotatum est: ‚Re vera quidem S. C. de Cicerone revocando factum esse in Capitolio dicitur; quo magis movemur adseveratione Ciceronis, qui nunc dicat in templo Virtutis hoc esse decretum, quum ... : nisi si et ibi forte decretum est.' cf. 269, 2; 305, 3. Ipsa e Ciceronis oratione pro Sestio discimus, tria senatus consulta esse secernenda: primum in templo Virtutis factum, quo Tullius nationibus exteris commendatus est (LIV, 116 et LX, 128), alterum in templo Jovis Optimi Maximi, quo Pompeius Ciceroni testimonium patriae conservatae dedit (LXI, 129), tertium postridie in curia, ne quis de caelo servaret neve moram ullam adferret (LXI, 129).

i) De Curio e Sabinis oriundo (364, 11) manifestum scholiastae errorem esse iam Niebuhr affirmavit. In errorem interpres fortasse ea re est inductus, quod falso intellexit, quae Cicero exhibet de re publ. III, 28, 40: ‚Cuius etiam focum Cato ille noster, quum venerat ad se *in Sabinos*, ut ex ipso audiebamus, visere solebat; apud quem ille sedens Samnitium, quondam hostium, tum iam clientium suorum, dona relegaverat.' cf. Cato Maior XVI, 55.

Nonnullis autem locis, quibus errores non scholiastae, sed librario tribuendi videntur esse, textum mutandum esse arbitror:

a) 309, 1: ‚L. Piso' in ‚C. Piso' cf. Cic. in Vat. XI, 26.

b) 321, 22: ‚C. Caesaris' in ‚L. Caesaris' cf. Cic. Phil. II, 6, 14; Liv. per CXX.

c) 357, 21: ‚L. Clodium' in ‚L. Plotium' cf. p. 4.

d) 317, 29 traditum est: ‚Servasse enim de caelo tunc videntur Domitius Calvinus et Q. Ancharius et C. Fannius,' deinde ad Ciceronis verba: ‚duos praetextatos' 318, 2: ‚Domitium scilicet et Ancharium,' denique ‚tertium' intellegi vult 318, 12: ‚C. Fannium sive Memmium.' Verba ‚sive Memmium' delenda videntur.

B. De philosophia.

Quae scholiasta philosopha (269, 6; 295, 27; 298, 20)[1]) docet, satis nota sunt e Ciceronis disputationibus Tusculanis.

C. De literarum scientia.

Ciceronis opera interpretem Tullianum diligentissime et studiosissime perlegisse[2]) eis maxime locis ostenditur, quibus scholiasta bene meminit similem sententiam alio loco oratorem protulisse, ut 232, 27 (cf. pro Mur. V, 11); 236, 13 (cf. in Cat. II, 10, 21); 237, 23

1) de sententia ‚quorundam' (298, 27) cf. disp. Tusc. I, 22, 51 ‚aliorum' i. e. Stoicorum disp. Tusc. I, 32, 78. — 2) cf. Gaumitz p. 17.

(cf. pro Font. XIV,33 [XI,23] sq.); 242,6 (cf. pro Mur. XI,25); 246,11 (cf. in Verr. III,54,125; V,6,14) 248,29 (cf. in Pis. frgm. 3); 249,14 (cf. de lege agr. I,6,18) 304,20 (or. pro Plancio locus amissus commemoratur); 315,29 (cf. div. in Caec. XI,36). Duobus locis accurata scientia atque bona memoria videtur Bobiensis gloriari, cum dicat altero (288,24): ‚Sed de M. Antonio, quod ait, et in Filippicis secunda oratione[1]) hoc idem contestatur his *ut opinor* verbis: ‚quidnam homines putarent, si . . . ', altero (349,24): ‚etiam ipse Tullius auctor est libro tertio de officiis,[2]) cuius verba inferam, . . . Sic enim *mihi textum recordor.* ‚Itaque si vir bonus . . . ' Utroque autem loco tot Ciceronis verba accuratissime sunt translata, ut nemo credat scholiastam ex memoria ea scripsisse. Praeterea verisimile est interpretem, nisi ipsum Tullianum textum ante oculos habuisset, in afferendo loco e libro III de officiis sumpto illud ‚Itaque' omissurum fuisse. — Nonnullas res aetatis Ciceronianae scholiasta in explicandis demum verbis Tullianis cognovit — bis, dum commentarios componit, e Cicerone discit res tam notas, ut postea, cum eaedem iterum tractandae sint, aliis testibus requisitis inscientiae eum pudere videatur atque interpres affirmet res sibi esse notissimas. Scriptum enim est ad Ciceronis verba ‚qui indutus muliebri veste fueris' 336,9: ‚*Videtur* enim Clodius habitu muliebri sexum mentitus penetrasse domum C. Caesaris' et infra 336,21: ‚Atque ita se et *in historia temporis huius commemoratio* habet. C. Caesaris pontificis maximi praetoris domi sacrificium sollemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri quod introierat, . . . ' cf. Liv. per. CIII: ‚in habitu mulieris.' In argumento eiusdem orationis (in Clod. et Cur.) similiter de incestu Clodii, non autem de habitu muliebri interpres mentionem fecerat. — Deinde legimus 343,11: ‚*Videtur* et Cn. Pompeio idem Clodius insidias paravisse' et 344,24: ‚*Notissimum est* autem (Z. 434) P. Clodium insidiatum esse Pompeio. Id ipsum testificatur et in aliis quidem retro habitis orationibus, et multo plenius ac manifestius pro Milone' Iam subit recordatio rei, quae memoriam fugerat. — At Orelli annotat (pag. 344 sq.): ‚— Ut ergo interpres sibi constet, quidam perdoctus amicus meus censebat τὸ ‚videtur' positum superiore loco pro ‚constat' vel ‚apparet'. ‚Videtur' idem esse atque ‚constat' nunquam concedam. Potius credam eis locis, quibus agitur de rebus non dubiis, vocem ‚videtur' idem significare, quod ‚apparet,' i. e: *δῆλον γίγνεται* Ciceronis lectori ipsius e Tullii verbis. Simili modo scholiasta rem, quam modo in interpretanda oratione cognovit, in sequentibus ita narrat, ut notissima ipsi videatur Postquam enim e Tullianis verbis ‚Sed, credo, postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti' conclusit (337,7): ‚*Ergo* et *inliberalem figuram* probro dedit (sc. Clodio)' infra ad or. de aere alieno Milonis scribit (344,13): ‚non tantum sine rubore, verum etiam sine ore P. Clodium dixit. Nam *traditur forma inliberali* is fuisse.'

Ceteros scriptores rerum, oratores, grammaticos, poetas, quorum ad fidem Bobiensis provocat, accurate enumeravit Gaumitz p. 18 sqq. Sed utrum scripta eorum ipse legerit, an titulos vel singulos locos apud alios (sive Asconii in scholiis, sive in glossariis[3]) invenerit, decerni non potest. Libros autem ipsi ignotos eum commemorare licet suspicari in his:

1) in Phil. II, 9, 21. — 2) III, 19, 75. 3) Horatium sub iugum missum esse aris Iunoni Sororiae et Iano Curiatio consecratis narrant Schol. 277,23 et Festus ‚sororium tigillum' p. 297 (Müller); quid intersit inter properandi vocem et festinandi, exponunt schol. 289,29 et Fest. p. 234. Praeter haec nihil invenitur, quo probetur scholiastam et Festum quodammodo inter se cohaerere nisi quod de oscillandi more et schol. 256,4 et Festus p. 194 agunt. Sed quae de feriis Latinis ab interprete tradita sunt, e Varronis rerum divinarum libris sumpta esse mihi videntur. cf. 299,13.

233,23: ‚L. Piso — in quem ipsius Gracchi (Z 3) extat oratio.' cf. ea, quae p. 3. (ad hunc locum) demonstravimus.

270,29: ‚Nam significat epistulam non admodum (Z 13) mediocrem instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam ‚de rebus suis in consulatu gestis' miserat Cicero aliquanto, *ut videbatur*, insolentius scriptam, ut Pompei stomachum non mediocriter commoveret.'

276,10 in argumento ad Milonianam: ‚exstat (Z 425) alius praeterea liber actorum pro Milone, in quo omnia interrupta et inpolita et rudia, plena denique maximi terroris agnoscas. Hanc (Z 425) orationem postea legitimo opere et maiore cura, utpote iam confirmato (Z 425) animo et in securitate, conscripsit.' cf. Asconium in eiusdem orationis argumento narrantem haec (42,18 = 36,24): ‚Cicero cum inciperet dicere, exceptus [est] acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt. Itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta eius oratio: scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi possit.'

De Livio et Sallustio interpretis fontibus iam satis diximus. Praeterea scholiasta accuratius videtur novisse fabulas Pacuvii (307,6), Terentii (305,6), Accii (305,30; 306,17; 359,2), Afranii (305,10).

D. De arte rhetorica.

Hoc potissimum Bobiensis sibi proposuisse videtur, ut Ciceronis artem oratoriam, in qua insigniter praestiterit (270,1, 306,14), ostendat; eiusdem artis leges (287,4) atque mores (229,11; 230,2; 232,19; 233,2; 239,9; 240,35; 251,1; 260,30; 285,10; 305,17; 342,12; 361,18; 368,25) explicet; explanet, quo consilio orator singulas res proferat (cf. 228,24: ‚ut attentiores animos judicum faceret;' 229,1: ‚Haec omnia congessit eo studio, quo . . .' Similia saepius inveniuntur, quam ut enumerentur.) Quibus rebus in explicandis totiens Tullianae arti laudem tribuit, ut totum interpretis librum appellare possis laudationem Ciceronis. Laudandi autem vocabula, quibus interpretatio ornatur, sunt haec:

mire: 230,17; 267,10; 297,1; 361,17: cf. mira cum verecundia et moderatione 270,7; mira brevitate 287,24.

acute: 270,22; 309,15; acutissime 243,13; cf. acutissima responsio; acutissimum argumentum 360,3.

vigilanter: 233,19; 234,5; 251,8; 258,11; 262,17; 280,16; 368,20; vigilantissime: 254,24; 285,9; 309,6; 367,5.

sollertissime: 238,1; 267,8; 285,15; cf. orator sollertissimus 289,23.

festivissime: 239,4; 337,5; cf. Valde summa cum festivitate 240,20.

utiliter: 239,12; 355,3.

eleganter: 240:35; 242,1; 273,2; 294,14; 355,15; cf. eleganti proprietate 303,3; elegantissime 290,19; 338,10.

artificialiter: 243,1.

bene: 243,11; 343,19.

jucundissime: 245,28.

admirabiliter: 257,1.

sagacissime: 257,9.

prudenter: 258,1; 294,32; prudentissime: 286,28; 302,29.

vivaciter: 258, 33; 282, 21; cf. vivacitas (Z 426) Tullio propria est 277, 7.
efficaciter: 276, 28.
pertinenter: 279, 2.
moventer: 284, 19.
vincenter: 289, 24; 367, 11.
opportune: 308, 16; 331, 13; 358, 7; opportunissime 290, 9; 307, 16; cf. opportunissima apostrophe 294, 2.
subtiliter: 293, 13; 343, 4; cf. oratoria subtilitate 361, 18.
consulte: 343, 4; 301, 10; cf. consultissimo temperamento 208, 1.
salubriter: 362, 11.
summa diligentia: 235, 21; cf. orator diligentissimus 240, 28;
eximius locus ad permovendos iudices 272, 28, animadverte, quo *modestiae temperamento* haec exsequatur, ut . . . 267, 30. *Quanta vis oratoria* est, ut . . .! 298, 13; fit a M. Tullio *consultissima et non incuriosis lectoribus admiranda* discretio 360, 20.

Contra quinquies scholiasta Ciceronem oratorem[1]) reprehendit, quod ‚aliquanto obscurius' locutus sit (236, 9; 265, 26; 281, 34; 295, 17; 368, 30), semel (268, 3) quod epilogos nimium flebiles et miserationis plenos in iudiciis semper habuerit. — Praeterea iam permultis lacunis[2]) indicatur interpretem saepissime figuras rhetoricas demonstrasse. Ceterum quae de arte rhetorica scholiasta profert, ea sunt, quae, qui scripta Ciceronis paulo attentius legerit, ipse facile inveniat. Certe scholiasta Ciceronem accurate legit atque tractavit, neque tamen quisquam, ut qui orator Tullius fuerit discat, scholia Bobiensia evolvet.

E. De annotationibus grammaticis.

Annotationes grammaticae, quae sunt rarae, omnes fere pertinent ad vim vocabulorum definiendam. Exponit scholiasta, quid sit ambitio (241, 5), amplecti (241, 17) ‚rogatio (257, 19), redarius (286, 2), embolia (304, 30), inmunes (306, 2), adorare (359, 6), deinde quid intersit inter ‚vis' et ‚ratio' (258, 2), ‚properare' et ‚festinare' (289, 29), ‚squalor' et ‚maeror' (303, 3). Saepius quoque notantur verba ‚rariora' vel ‚vetera', ut sordes (de huius vocabuli singulari numero 234, 20), infatuare (242, 19), debitio pecuniae (266, 15), fucosus (255, 14). Denique (296, 14) docet Ciceronem ‚notabiliter media verbi parte subtracta non implevisse omnibus syllabis ‚dixisset' sed ‚dixet.' Hae autem sermonis observationes non sunt dignae, quae accuratius tractentur, praesertim cum ex ipsis intellegatur ‚veteres,' de quorum vocabulis Bobiensis verba facit, esse plerumque Ciceronem. Exempli gratia ad ‚labeculam' ab interprete haec adnotantur (324, 29): ‚Sic tamen veteres et aetatulam et nubeculam dixerunt', ‚aetatula' autem reperitur apud Ciceronem de fin. V, 20, 55 et ‚nubecula' in Pis. IX, 20. Et quod de interpretatione vocabuli ‚embolium' dicit Mai (p. 304): ‚En denique interpretio vocabuli embolium', facile cognoscimus scholiastam, quae bene ad decla-

1) Ciceronis opera poetica scholiastae minus digna talis viri nomine videntur. 267, 19; 306, 13. — 2) cf. Angeli Mai praevium monitum (p. 227): ‚Sed tamen aliud adest lacunarum genus, Graecorum scilicet verborum defectus, quibus interpres Tullianus persaepe usus fuerat; sed ea verba quum olim non atramento, sed nescio quo colorato suco scripta fuissent, postea funditus palimpsesti lotor delevit, neque iam chemicis artificiis, quod fit in atramento, suscitari et colorari queunt. Perraro igitur mihi contigit, ut haec Graeca in evanidis scripturae vestigiis adsequerer. Sunt autem pleraeque formulae ex arte rhetorum, quam scholiastes noster, ut valde arbitror, profitebatur.'

randum vocabulum exponit, collegisse ex ipsius Tullii loco et eis, quae apud Sallustium[1]) de Clodii sorore invenerat. Definitio enim nostro loco aptissima non omnino ad ‚embolia' pertinet — namque in Ciceronis ad Q. fr. ep. III, 1, 7, 24 ἐμβόλιον minime significat gestus saltatorios vel similia!

III. De commentarii compositione.

Commentarios Bobienses nobis servatos (p. 228 — 369) partes esse unius libri probabile fit eis, quae docuerunt Mai (in praefat. p. 219 sq.), Thomas Stangl (‚Der sog. Gronovscholiast zu elf ciceronischen Reden.' Prag und Leipzig 1884 p. 73), Gaumitz (p. 12 sq.). Legentibus cum similitudo rerum enarratarum conspicua est, tum aequalitas verborum. Quales res et quomodo essent expositae, iam vidimus. Vocabulorum autem apud scholiastam usitatorum exempla sunt haec:

stomachus: oratorio stomacho 240, 35; cum stomachi asperitate 244, 26; cum acerbitate stomachi 249, 4; non sine morsu stomachi 259, 34; cum permissione quadam stomachi 265, 19; exercuerat acerbitatem stomachi sui 269, 13; Pompei st. 271, 3; pro stomachi sui acerbitate 271, 21; summa cum st. acerbitate 295, 8; amaritudo stomachi est 331, 24.
liniamentum: 242, 2; 295, 9; 301, 20; 336, 11; 347, 4.
obnixe: 229, 31; 276, 8; 282, 15; 303, 14; 341, 25; 360, 36.
destruere: 228, 17; 229, 1; 229, 7; 234, 13; 237, 16; 238, 36; 239, 4; 241, 16; 308, 24; 364, 16.
denotare: 230, 3; 259, 13; 269, 21; 270, 15; 295, 9; 333, 17; 343, 16; 349, 22.
perstringere: 230, 13; 260, 1; 265, 30; 270, 17; 286, 18; 298, 1; 331, 24; 331, 30.
adquirere: 230, 20; 233, 10; 258, 31; 293, 13; 338, 18. cf. 402, 25.
proscindere: 234, 28; 244, 26; 295, 8; 310, 6; 329, 21; 363, 18; 366, 28 (Z. 437) cf. 405, 11.
adseverare: 237, 8; 258, 18; 268, 6; 278, 20; 280, 33; 331, 8; 350, 2.
exaggerare: 237, 20; 292, 24. cf. 402, 36.
patrocinari: 241, 12; 242, 22; 261, 7; 261, 30; 266, 19; 271, 8; 296, 19; 339, 11; 356, 18; 360, 6; 360, 22; 366, 6.
quando (coni. caus.): 248, 18; 256, 29; 259, 14; 261, 31; 263, 13; 263, 18; 263, 35; 266, 22; 270, 9; 279, 4; 285, 27; 338, 15.

Praeterea conferas, quae enumerata sunt p. 25 sq. et 29. — Iam audiendus est Gaumitz (p. 16): ‚Oben nannte ich die Bobienser Scholien ein zusammenhängendes Ganze; ich muß nun diese Behauptung etwas einschränken. Sind sie auch ein Ganzes ihrem Kerne nach, so mögen sich doch im Laufe der Zeit an diesen Kern einige fremde Bestandteile angesetzt haben . . . Einen solchen Zusatz jedoch glaube ich sicher nachweisen zu können. Man vergleiche das Scholion (336, 18) zur Interrogatio in Clodium et Curionem V, 3 mit dem Argumentum zu derselben Rede (329, 23)' Deinde pergit (p. 17): ‚Beide Stücke können unmöglich von demselben Verfasser sein. Es ist nicht denkbar, daß ein Erklärer in derselben Rede ohne Verweisung noch einmal dieselbe Geschichte, von der ja die ganze Invektive handelt, ausführlich und als etwas Neues erzählt, die er wenige Seiten vorher in der Einleitung, dem einzig passenden Orte, gebracht hat. — Dazu kommt der Unterschied

1) cf. p. 7.

in der Diktion. Die kurzen Sätze sind schlecht und dem Sprachgebrauch des Bobiensis fremd.' Sed brevia enuntiata saepius in scholiis reperiuntur, ubi interpres ea, quae ex uberioribus fontibus hausit, breviter refert, ut 337, 9 et 338, 24. Huc accedit, quod nostro loco Bobiensis ea, quae in argumento tractavit, ipsis in annotationibus brevissime lectoribus in memoriam reducit. At addit Gaumitz (p. 17): ,Beweisend für die verschiedene Urheberschaft ist meiner Meinung nach eine Abweichung. Das Scholion hat 336, 25 de incestu, während der Scholiast dies Wort regelmäßig nach der zweiten Deklination biegt.' Unde autem illud ,de incestu,' quod scriptum est p. 280, 19? Non dubium est, quin aut scholiastae, aut librario illa ablativi forma nota fuerit. — Alius autem locus est notabilis, quem habes 283, 2: ,Hic P. Scipio Aemilianus, ut in *proxumae orationis commentario iam locutus sum*, . . .' Sed ante hanc pro Milone orationem tractatam non invenies, quae significatur, orationem pro Murena habitam. Quam rem scholiastae errori tribuendam esse non est credibile, quod ipse testificatur (248, 13) certum quendam ordinem orationum Tullianarum sibi propositum esse. Quod autem Mai in annotationibus affirmat (p. 283) ,Murenianam orationem ante Milonianam in scholiastae nostri adversariis fuisse collocatam', non intelligo, quomodo — ut hoc credendum sit — scribere potuerit: ,in proxumae orationis commentario', quoniam in argumento sequentis orationis (292, 33) ,in commentario proxumae orationis' ita vult intelligi, ut proxuma oratio sit ea, quae ante hanc in scholiis tractata sit.[1]) Immo censeo e scholiastae toto opere librarium quendam ad singulas tantum orationes commentarios in librum suum transtulisse — huius autem libri nobis partes esse servatas. Scholia a librario ad verbum transscripta esse iam ea re satis apparet, quod illud ,in proxumae orationis commentario' descripsit, quamquam Murenianam orationem omiserat. — Totius operis dispositio et ambitus definiri non possunt. Namque commentarii nostri — quibus tractantur orationes pro Flacco, cum senatui gratias egit, cum populo gratias egit, pro Plancio, pro Milone, pro Sestio, in Vatinium, in Clodium et Curionem, de aere alieno Milonis, de rege Alexandrino, pro Archia, pro Sulla — qua ratione sint dispositi, vix quisquam perspiciet. A librario autem ordinem non mutatum esse elucet inde, quod ea, quae in commentariis servatis iam supra commemorata esse scholiasta monet, in prioribus partibus inveniuntur. cf. 257, 25 et 249, 32; 317, 17 et 297, 21; 320, 6 et 308, 26. Eis ex rebus, quas in partibus amissis expositas esse discimus, viri docti concluserunt scholiastam etiam Verrinas orationes et Murenianam interpretatum esse[2]). Eiusdem in commentariis orationem *de domo* tractatam esse probatur his:

299, 16: ,Iam supra mihi enarrata memini exempla Deciorum patris et filii . . . ' cf. Cic. de domo XXIV, 64: ,Decii.'

301, 5 ad ,Brogitarum': ,De hoc iam locutus sum' cf. Cic. de domo L. 129: ,cum legatis Brogitari.'

302, 5 de Catone: ,Et de hoc dictum est, qui legatus Cyprum fuerat, quo regnum publicaretur.' cf. Cic. de domo VIII, 20: ,qui cum lege nefaria Ptolemaeum — causa incognita publicasses . . . bello gerendo M. Catonem praefecisti.'

1) cf. 320, 6 et 308, 26. — 2) cf. Gaumitz p. 13 sq. Idem exponit haec: Verloren ist leider von demselben Verfasser der Kommentar zu den sämtlichen Verrinen. Daß er diese erklärte, geht unzweifelhaft hervor aus der Stelle 260, 33; Cicero . . . , quem non ignoramus multum facetiis et urbanioribus dictis indulsisse, id quod locis pluribus in Verrinis orationibus potuimus agnoscere.' Potius dicam hoc loco conjecturam illam *probabilem* fieri. Scriptum enim est 244, 6: , . . . iam in ceteris etiam sua sponte lector *adgnoscet*', i. e. adgnoscet, qui leget Tullianas orationes, non scholiastae commentarios.

IV. Quo tempore scholia Bobiensia scripta sint.

A Ciceronis temporibus longissime scholiastam abesse satis demonstratur ea re, quod et ipsum Tullium dicit ,veterem' (cf. 255, 14; 286, 3; 324, 29), et narrat feriarum latinarum sacrificium factum esse secundum veterem superstitionem (256, 8). Sua ipsius tempora tangit hic locis:

245, 18: ,Eas (sc. legationes) *nunc* commeatus appellamus'

272, 20: ,*Nunc* autem omnia, in quibus variae dignitatis praesides habitent, praetoria nominantur.'

286, 2: ,Quos *nunc* vulgo muliones dicimus, — eos veteres, ut animadvertitis, redarios dicebant.[1])' Quibus ex rebus nemo scholiastae tempora definire conabitur. Collegi autem verba et verborum iuncturas in scholiis usitatas, quae testari videntur partim posteriorem, partim extremam linguae latinae aetatem. Enumeranda sunt haec:

a) *substantiva*: praecessor 238, 24; exhibitio funeris 249, 23; adlegatio (= das Vorbringen) verecundae timidatis 256, 31; prolixitas 259, 12; figmentum (= Erdichtung) 264, 16; 285, 38; 307, 14; protector 266, 22; participatus 268, 8; vivacitas 277, 7 (Z. 426): praestructio 285, 23; praebitio (= Lieferung) 286, 7; passio 292, 23; 306, 20: reatus (= Beschuldigung) 294, 5: 368, 34; lectio (= Ausdruck) 306, 12; decennium 312, 20; virulentia (= Gift) 336, 1: generalitas 343, 5; discretio 360, 20; praedamnatio 361, 14; invisor 363, 24; sensio 367, 4.

b) *adjectiva*: calumniosus 236, 4: 239, 19; 245, 21; 309, 4; 342, 20; 345, 4; (Plancius) senior 259, 25; 260, 31 improsper (rei publicae) 290, 20 laciniosus (orator) 285, 38; compensativus 246, 3; 266, 9; 267, 24; 276, 17; relativus 292, 13; dubitativus 294, 17: uterinus (frater) 304, 2; strumosus 310, 28; concessivus 363, 14; 387, 18; — valde summus 240, 20; adprime dicacissimus 259, 28; valde insolentissimus 363, 12.

c) *adverbia*: localiter 234, 26; 365, 21; inciviliter 235, 18; 244, 33; congeste 237, 1; 313, 6; onerose 237, 22; consequenter (= folgerecht) 250, 18; 264, 12; principaliter (= vorzüglich) 254, 3; vivaciter 258, 33; exerte (exertius) 259, 15; 294, 32; 297, 9; 298, 2; sufficienter 263, 8; pertinenter 279, 2; moventer 284, 19; vincenter 289, 24; 367, 11; clanculo 311, 27; specialiter 343, 5; inlicite 354, 6; peculiariter 360, 25.

d) *verba*: resculpere (memoriam) 230, 4; (infamiam incesti) 335, 2; insinuare (alicui voluntatem mentiendi) 235, 7; supergredi (legis praescripta) 235, 17; devorare (alicuius auctoritatem) 237, 5; invigilare, ne — 238, 1; deflorare 241, 26; 284, 8; 304, 4; 361; 27. temperare (= zurückhaltend aussprechen) 256, 28; praeiactare 264, 25; in candidam venire 266, 2; (in c. praeturae v.) 341, 10; praelibare 277, 9; in confesso tenere 282, 21; concatenare 282, 27; exercere negotiationem in aliqua re 286, 4; praerogare 290, 14; summare (= auf den Höhepunkt bringen) 286, 12; defaeneratus (= verschuldet) 295, 18; 332, 9; 341, 26; reformare 306, 26, rumigerare 344, 18; humilitare 364, 18.

Cum autem certis terminis scholiastae tempora circumscribi non possint, viri docti dissentiunt. Niebuhr (praef. ad ed. Front. Berol. 1876 p. XXXIV) putat saeculo *quarto*

1) Locus de tigillo sororio (277, 25) non respiciendus est, quod scholiastae verba: ,Id expiamentum memoriae servatum *ad hunc usque diem* tigillum sororium appellatur' e Livio sumpta sunt, qui scripsit (I, 26, 73): Id *hodie quoque* publice semper refectum manet; sororium tigillum vocant.' cf. supra p 5.

commentarios esse compositos, Orelli opinatur scholiastam fortasse Christianum[1]) fuisse saeculi demum *quarti* vel *quinti* (p. 220 in annot. editionis p. 256; cf. excurs. XI ad Cic. pro Planc. p. 272). Contra Madvig (de Asconii Ped. et aliorum vet. interpr. in Cic. or. comment. disputatio critica Hauniae 1828 p. 148) exponit commentarium ‚cum barbariae, quae consecuta sit imperii eversionem, vestigia non inveniantur, ‚ad sextum saeculum nullo modo detrudi posse, immo *aut quinto, aut*, quod fortasse rectius sit, *quarto exeunte*' scriptum esse. Denique Stangl docet (M. Rh. XXXIX p. 431) *quarto saeculo medio* esse scholia conscripta. Equidem, cum scholiastae sermo haud nimis a vetusto abhorreat,[2]) accedo ad sententiam eorum, qui commentarios saeculo *quarto* — exeunte potius quam ineunte — scriptos esse censent.

Quibus omnibus expositis constare mihi videntur haec:

Scholiasta Bobiensis optimus est interpres Tullianae artis oratoriae. Cum autem — quamvis studiose et diligenter singulas res in fontibus requisiverit — historiae et rerum veterum scientia ita non sit imbutus, ut res notissimas interdum non e memoria prodat, sed paene ad verbum ex historicorum (praecipue Cornelii et Livii) libris transscribat, saepius fit, ut interpres, quae de eisdem vel similibus rebus in pluribus libris legit, non satis perspiciat et res confundat. Propterea cavendum est, ne omnibus, quae ab interprete traduntur, fidem habeamus. Magni autem aestimanda sunt scholia, quod et in eis multa orationum, quae perierunt, Tullianarum fragmenta servata sunt, et singulas quasdam res ex amissis libris (imprimis Livii et Asconii) haustas e commentariis discimus.

1) G. Rauschen (Ephemerides Tullianae Bonn. 1886 p. 67) scholiastam Christianum fuisse non credit, rationes non affert; ego ut in re plane incerta nihil diiudicarim. — 2) cf. Stangl l. l. 431. sq.

Index locorum.[1])

1) Omisi in indice, quae singula nemo quaeret, exempla annotationum rhetoricarum (p. 25 sq.), grammaticarum (p. 26 sq.), vocabulorum usitatorum (p. 27), verborum, quae testes sunt posterioris linguae aetatis (p. 29).

Vita auctoris.

Natus sum Otto Bernardus Schilling Chemnitii anno h. s. LXII. a. d. VIII. Cal. Novembres, patre Bernardo, qui erat medicus eadem in urbe, matre Agnesa e gente Lotziana parentibus. Fidei addictus sum evangelicae. Elementis imbutus traditus sum anno LXXII. gymnasio Chemnitiensi, quod tum florebat Vogelio dirigente. Novem post annos maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut studiis philologis operam darem. Unum ibi annum commoratus Tubingam transmigravi. Unde sex post menses redii Lipsiam. Instituerunt me Lipsiae viri doctissimi: von Bahder, Brugmann, Curtius, Eckstein, Heinze, Lange, Lipsius, Ribbeck, Struempell, Voigt, Wundt, Zarncke, atque Tubingae: von Gutschmid, Herzog, Rohde, Schwabe. [Societatibus interfui: Lipsii antiquariae, Ribbeckii philologae, Zarnckii Germanicae.] Omnibus his viris optime de me meritis quid debeam, semper servabo grato animo. Examine publico anno LXXXVI. a. d. VI Id Iun. superato gymnasio regio Dresdensi addictus sum, ut in instituendis pueris exercerer. Eadem in schola post sex menses et annum mihi magistri munus est mandatum. Aprili autem mense anni XC. ad gymnasium Vitzthumianum, quod Dresdae est, vocatus sum, ubi nunc magistri munere fungor.